DE

PINDARI STUDIO NOMINA VARIANDI.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS RITTER

HANNOVERANUS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXXV.

Darmstadtii typis G. Otto.

PARENTIBUS SACRUM

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41552716_0059

Inter poesin Graecorum epicam et lyricam cum multa alia intercedunt discrimina, tum poetae epici ad certas leges inde ab Homeri temporibus constitutas alligati non ad suum arbitrium, sed secundum priorum poetarum usum poemata scribebant, lyricis autem multo maior erat licentia in carminibus pangendis. Nam cum carmina epici argumenti eodem versu heroo *κατὰ στίχον* conscripta sint neque ullus poeta novum metrum ad eiusmodi argumentum continuo poemate depingendum adhibere ausus sit, lyrici tanta utuntur metrorum varietate, ut summae iis laudi ductum esse videatur multiplicibus variisque versibus carmina includere. Nonne a plerisque ex clarissimis poetis nomina traxerunt metra, quae aut primum aut perfectissime ab iis composita erant? Maxime autem hoc novorum metrorum studium et cupiditas in choricis conspicitur poetis. Etenim cum in ceteris poesis lyricae generibus et is, qui metrum invenerat, eodem metro saepius ad carmina pangenda uteretur, et aliis poetis, si ipsis parum sollertiae inerat, a maioribus inventa metra usurpare liceret, carmina chorica ad unum omnia diversis inter se metris et composita sunt et componi sine dubio debebant. Itaque Pindarus, princeps lyricorum Graecorum, singulos viros, qui Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia vicerant, novis et ad has ipsas victoriarum occasiones inventis numeris celebravit nec plus semel in duobus carminibus[1] in eundem virum scriptis consilio et ratione ductus eodem metro usus est. Sed ne hanc quidem repetitionem eiusdem metri tolerandam rati plurimi ex recentioribus editoribus duo illa

[1] Isthm. III et IV.

carmina, quae in codicum parte continuata, in ceteris dirempta sunt, in unum coniunxerunt.

Cum hac, quae inter poesin epicam et lyricam intercedit, differentia nescio an arte coniuncta sit altera haec. Nam non solum metrum, sed etiam verborum delectum si spectamus, epica oratio, cum aequabilitate quadam fluat, simplicior et humilior quodammodo esse videtur quam elatio atque altitudo lyricorum carminum. Sane etiamsi ab illis complurium versuum repetitionibus recesseris, quae a posterioribus demum poetis graecis veteri Iliadi et Odysseae adiectae sunt: magnus restat numerus certarum et quasi sollemnium appellationum et locutionum, quae in illis poematis sexcenties repetitae sunt. Nam cum metrum versus heroi *κατὰ στίχον* usurpati posceret, ut aut singulae syllabae longae cum binis brevibus aut binae syllabae longae in unum pedem colligerentur, hac certa lege epici poetae facile inducti sunt, ut ad ea potissimum vocabula vocabulorumque coniunctiones, quae in versum heroum apte caderent, iterum iterumque recurrerent atque ingentem illam copiam perpetuorum, quae dicimus, epithetorum procrearent, quibus epica oratio abundat. Itaque poetae epici deum vel hominem vel rem iam supra ab ipsis nominatam denuo commemoraturi isdem fere vocabulis significare solent. Ut ex sexcentis, quae in Homeri poematis reperiuntur, exemplis unum alterumve proferam, Od. I v. 68—77 Neptunus quater eodem nomine *Ποσειδάων* appellatus est, cum Od. IX v. 345—364 Cyclopis nomen quater et Od. X v. 276—295 Circes nomen quinquies repetitum sit. Iam vero Il. III v. 16—37 Paris quater *Ἀλέξανδρος θεοειδής* dictus est, ita ut eodem semper epitheto apposito *μονοτονία* augeatur. Qua repetitione eorundem nominum ne taedium audientibus moverent, veriti ii poetae lyrici, qui carmina politissima arte perficiebant, ad id artificium videntur confugisse, ut deorum heroumque nomina epithetis circumscriberent atque alia quoque vocabula non raro artificiosissime variarent. Certe enim Pindari carmina tanta appellationum ubertate et variarum translationum copia abundant, ut nisi hoc nomina variandi studio vix expediri possit. Cuius arti postquam Studemundo, praeceptore meo carissimo, suadente et impellente per longius temporis

spatium operam impendi, hanc certam legem a Pindaro observatam esse intellexi, cuius memoriam homines docti nondum resuscitasse videntur ad ingentem illum epithetorum et circumscriptionum numerum explicandum, quo Pindari oratio conspicua est. Qui non modo nunquam verbum, quod aliquam in enuntiato vim haberet, bis vel saepius intra eandem stropham epodamve posuit, sed etiam cum diligentissime caveret, ne intra idem strophae antistrophae epodi systema eadem vox vel dictio repeteretur, circumlocutionibus vel epithetis pro nominibus ipsis plerumque uti maluit.

Hanc igitur legem accuratius hac commentatione considerare operae pretium videtur esse.

§ 1.

Ac primum quidem videamus, quatenus poeta caverit, ne locum, ubi victor celebrandus in certaminibus victoriam adeptus erat, bis eodem nomine appellaret. Quod maxime ex tribus primis carminibus Olympicis intellegi potest, quippe in quibus res OLYMPICAE de industria ac studio quodam expositae sint. Ita in carmine Olympico primo postquam in v. 7[1] ab ipso nomine Olympiae initium cepit, in v. 18 Pindarus eundem locum Pisam appellavit, cum in uno systemate ad idem vocabulum recurrere nollet. Pisa enim urbs Olympiae vicina iam anno quingentesimo septuagesimo post diuturnas pugnas ab Eleis erat deleta neque hi patiebantur novam urbem aedificari. Posteri autem poetae utraque ratione confusa et mixta nomen illud servabant ad Olympiam significandam. Sed iam videamus cetera. In v. enim 20, ubi de Pherenico agitur, qui equus Hieroni regi victoriam comparaverat, pro nomine Olympiae Pindarus canens „*παρ᾽ Ἀλφεῷ σύτο*“ (prope Alpheum cucurrit) substituit fluvium, qui proxime Olympiam praeterfluit. Quid? quod statim in v. 24 *λάμπει δέ Ϝοι κλέος ἐν εὐάνορι Λυδοῦ Πέλοπος ἀποικίᾳ* (splendet autem eius [Hieronis] gloria in praestanti viris Lydi Pelopis colonia) novo artificio Olympiae nomen redditum est? Ubi

[1] Numeri adiecti sunt secundum editionem Mommsenianam minorem (1866).

Πέλοπος ἀποικία non Peloponnesus est, sed Elidis, in quam Pelops devenerat, urbs Pisa Olympiae vicina, cum praesertim Oenomaus Pelopis socer in v. 70 appelletur *Πισάτας* pater (scil. Hippodamiae). Itaque in uno eodemque systemate a versu septimo usque ad vigesimum quartum poeta, postquam initio Olympiam, ubi Hiero victoriam curulem consecutus erat, nomine proprio nuncupavit, ter regionis nomen sollerter variavit, ne semper eandem appellationem recoqueret. Iam vero, si ad finem carminis considerandum transibimus — nam in initio fere et fine epiniciorum eae res, quae ad certas, quarum in honorem composita sunt, victoriarum occasiones spectant, exponuntur — in v. 92, ubi de Pelope divino post mortem honore Olympiae culto agitur, legimus „*Ἀλφεοῦ πόρῳ κλιθείς*". Hic quidem poeta non veritus est eadem fere appellatione, qua in v. 20, Olympiam significare, cum duo interiacerent systemata inter utrumque locum. Verum in v. 111 denuo per ambages nomen reddidit, ubi verbis *παρ' εὐδείελον Κρόνιον* Olympiam contineri nemo negabit, cum Cronius appelletur collis, qui proxime Altin planitiem supra Olympiam assurgit. Quodsi versum 94 diligentius contemplati erimus, hic quoque signum Olympiae deprehendemus: *τᾶν Ὀλυμπιάδων ἐν δρόμοις* enim dictum videtur pro *Ὀλυμπίας ἐν δρόμοις*. Itaque si totum carmen uno obtutu percurrimus, cum quinque diversis inter se appellationibus unus idemque locus significatus sit: v. 7 *Ὀλυμπία*, v. 18 *Πίσα*, v. 20 *παρ' Ἀλφεῷ*, v. 24 *εὐάνορ Λυδοῦ Πέλοπος ἀποικία*, v. 111 *παρ' εὐδείελον Κρόνιον*, perspicitur, quam diligenter illam legem, qua ne nomen idem intra unum systema repeteretur, cavebatur, Pindarus observaverit. Tantum autem abest, ut hoc variandi studio ad contortum dicendi genus poeta detrusus sit, ut divino paene artificio Olympiorum scaenam tamquam ante oculos nobis ponat atque Alpheum fluvium, Altin planitiem, Cronium collem conspicere quodammodo nobis videamur.

Eodem fere modo in carmine Olympico tertio Olympiae nomen variatum est. In quo postquam v. 9 Pisa se ad victorem celebrandum impelli (*ἅ τε Πίσα με γεγωνεῖν*) ita cecinit, ut Olympiam significaret, poeta in v. 15 certaminum regionem nomine proprio introduxit, cum olivas, quibus

victores coronabantur, *μνᾶμα τῶν Οὐλυμπίᾳ κάλλιστον ἀέθλων* (monimentum Olympicorum pulcherrimum certaminum) diceret. Deinde in altero systemate, ubi Herculem ab Hyperboreis Olympiam olivae arborem attulisse Pindarus narrat, in v. 17—18 *πάνδοκον ἄλσος* dedit pro Olympia, quippe prope quam esset lucus Iovis patris; nec minus quae leguntur in v. 22 *ἐπὶ κρημνοῖς Ἀλφεοῦ* ad Olympiam significandam inserviunt, ubi Hercules ad Iovem patrem honorandum quinquennalia illa certamina instituit. Atque in proximo quoque versu Olympiae nomen per ambages redditum est, cum *ἐν βάσσαις Κρονίου Πέλοπος* idem sit atque *Ὀλυμπίᾳ*. Pelopis enim Olympiam sive Pisam ad Hippodamiam Oenomai filiam uxorem sibi comparandam profecti memoria revocabatur simulacris illis Oenomai et Pelopis ad equorum cursum paratorum in fastigio templi Iovis Olympici ad orientem spectante collocatis, quae a Paeonio Mendensi, si quidem Pausaniae fidem tribuimus, e marmore facta erant. Itaque in tertio quoque carmine a v. 9 usque ad v. 23 Pindarus Olympiam quinque prorsus inter se diversis appellationibus insignivit, quod cur faceret, vix habebat, nisi easdem voces in uno systemate vel in versibus vicinis repetere noluit.

Ad haec pluribus illustranda satis erit, si ex ceteris carminibus Olympicis ipsos descripserimus locos, in quibus Olympiorum regionis mentio fit. Legimus enim carminis quinti in v. 1—2 *στεφάνων ἄωτον γλυκὺν τῶν Οὐλυμπίᾳ* (coronarum dulcem florem Olympicarum), in v. 9 *ἵκων δ' Οἰνομάου καὶ Πέλοπος παρ' εὐηράτων σταθμῶν* (rediens autem Oenomai et Pelopis ab amabilibus sedibus), in v. 17 *Κρόνιον ναίων λόφον*; qua postrema locutione Olympiae nomen variari vel ex eo apparet, quod etiam iis, quae sequuntur, *τιμῶν τ' Ἀλφεὸν εὐρὺ ῥέοντα Ἰδαῖόν τε σεμνὸν ἄντρον* haec certaminum regio significatur. Simili modo in carmine octavo per ambages redditum est Olympiae nomen, ubi exstat in v. 1 *Ὀλυμπία*, v. 9 *Πίσας εὔδενδρον ἐπ' Ἀλφεῷ ἄλσος*, v. 17 *πὰρ Κρόνου λόφῳ*, neque minus variae circumlocutiones insunt in carmine nono. Cuius odae in v. 2 legitur *Ὀλυμπίᾳ*, in v. 3 *Κρόνιον παρ' ὄχθον*, in v. 7 *ἀκρωτήριον Ἄλιδος*, in v. 18 *παρὰ Ἀλφεοῦ ῥέεθρον*. Nam certe poeta, cum in v. 6 animum suum affatur:

σεμνόν τ' ἐπίνειμαι ἀκρωτήριον Ἄλιδος τοιοῖσδε βέλεσσιν (venerandumque impertire verticem Elidis talibus telis), ad Olympiae sive Pisae laudem celebrandam aggreditur, cum praesertim addat: τὸ δή ποτε Λυδὸς ἥρως Πέλοψ ἐξάρατο κάλλιστον ἕδνον Ἱπποδαμείας (quam olim Lydus heros Pelops sibi exemit pulcherrimam dotem Hippodamiae); Pelopis dotem autem Pisam fuisse iam antea docuimus.

Plura possunt afferri exempla ex carminibus Olympicis ad demonstrandum, quam variis appellationibus Pindarus certaminum Olympicorum regionem ornaverit; sed ne unum quidem reperitur, ubi ad idem nomen intra unum systema recurrat.

Transeamus igitur ad carmina PYTHICA consideranda, quae, cum ratio in iis eadem fere sit atque in Olympicis, paucis absolvi possunt. Quorum carminum in quinti v. 19—20 cum victor beatus praedicetur κλεεννᾶς εὖχος ἤδη παρὰ Πυθιάδος ἵπποις ἑλών (famosa iam ex Pythiade gloriam equis adeptus) et in hac locutione nomen Pythus iam insit, in v. 29 eo artificio redditur, ut Carrhotus Arcesilai regis auriga dicatur ὕδατι Κασταλίας ξενωθείς (hospitio acceptus ad aquam Castaliae). Nam cum fons Castalius ad radicem montis Parnassi profluat prope Delphos, verbis ὕδατι Κασταλίας Pytho ipsa significatur. Nec minus huc spectant, quae leguntur in v. 36 ἐν κοιλόπεδον νάπος θεοῦ. Apollinis enim, qui hic nude deus appellatur, sacram urbem Pythonem in carminis Pythici sexti versu nono Pindarus ipse Ἀπολλωνίαν νάπαν nominat. Cumque praeterea auctore scholiasta ad Iliad. II 519 Pythoni antea nomen Παρνασσία νάπη esset inditum, hic quoque κοιλόπεδον νάπος θεοῦ Pytho ipsa esse videtur, praesertim qua in urbe currus ille hoc loco memoratus, quo Carrhotus Arcesilai victoris auriga victoriam adeptus erat, Apollini esset suspensus atque dedicatus. Quid? in v. 39 nonne sollerter Pindarus nomen Pythus ita variavit, ut per adiectivum Παρνάσιος urbem significaret? Certe enim illud Parnassium tectum (τέγος Παρνάσιον), in quo Cretenses signum aliquod statuerant, fuit unus ex Delphicis thesauris, qui in peribolo, qui dicitur, ad Parnassum montem erant siti. Iam vero ne in v. 64 quidem poeta ad appellationem iam antea usurpatam recurrit, quam-

quam denuo Pythus mentionem facit. Nam *μυχόν* illum *μαντήϊον,* quem Apollo colit, intellegendum esse Pythonem, quippe qua in urbe esset clarissimum huius dei oraculum, nemo negabit.

Eadem diligentia Pindarum, ne Pythonem bis eodem nomine vocaret, vitasse inveniemus, si ad carmen sextum considerandum accedemus. Nam iam in v. 3 illa urbs locutione minus usitata insignitur. *Ὀμφαλὸς* enim *ἐριβρόμου χθονός* proprie quidem lapis est Delphis in sacro loco, qui medius mundi universi habebatur, positus, verum hic non ille lapis sed Pytho universe intellegenda est. Ante Pindarum autem hanc appellationem nusquam ad urbem Delphos translatam legimus, cum apud Homerum *ὀμφαλός* nonnisi de hominum umbilico medioque scutorum loco eminenti dicatur et semel tantum in Odyssea I 50 Calypsus nymphae insula Ortygia nominetur *ὀμφαλὸς θαλάσσης.* Itaque verisimillimum esse videtur Pindarum vel alium poetam lyricum primum hac locutione Pythus nomen variasse, ut maior sibi dicendi copia suppeteret. Quod si verum sit, id, quod initio statuimus, mirum in modum firmetur, cum ex hoc potissimum appareat, quibus artificiis lyrici repetitionem eiusdem nominis vitaverint. Nec minus in v. 8—9, ubi legimus *ἐν πολυχρύσῳ Ἀπολλωνίᾳ νάπᾳ,* Pythus nomen, ut iam antea docuimus, per ambages redditum est, cum praesertim illa urbs propter multos thesauros ibi exstructos perapte dicatur auri plena. Sed iam in v. 18 Pindarus Pythus nomen sollerter ita variavit, ut carmen suum gloriosam curru partam victoriam *Κρισαίαις ἐνὶ πτυχαῖς* sermonibus hominum denuntiaturum esse caneret. Neque enim Crisseae illae valles hoc quidem loco quidquam aliud esse possunt quam Delphicae convalles sive Pytho ipsa, cum certe non Crissae in urbe vicina, sed Delphis, ubi certamina fuerant, inter comissantes amicos gloria victoris Pindarico carmine celebraretur. Quantopere autem novas circumlocutiones poeta in deliciis habuerit, maxime ex eo colligitur, quod ne in v. 49 quidem priorem appellationem repetit, sed *ἐν μυχοῖσι Πιερίδων* (in penetralibus Pieridum) sapientiae florem a Thrasybulo victore decerptum esse praedicat. Neque enim dubitari potest, quin pro Delphis elegantissime penetralia Musarum substituta sint, quippe

quarum, ut Apollinem comitantium, sedes esset Pytho. At cum ne uno quidem huius carminis loco Pytho nomine proprio appellata sit, Pindarus his variis locutionibus non ideo, quia idem nomen repetere nolebat, sed casu usus est, sicut nos quoque, si pluribus de aliqua re agimus, non eadem usque appellatione eam notamus. Quod primo quidem obtutu rectum videri potest. Sed initio huius carminis accuratius inspecto cognoscemus in v. 5 inesse Pythus signum, cum *Πυθιόνικος* certe nihil aliud significet quam eum, qui *Πυθοῖ* vicit. Itaque hoc ipso exemplo statuisse sibi Pindarum regulam illam supra memoratam mirum in modum comprobatur, quia postquam thesaurum carminum, quibus victoris genus Delphis celebratum erat, Pythionicum appellavit, Pythus nomen, quod ei in vocabulo illo inesse videbatur, repetere veritus est.

Quocum consentiunt quae legimus in carmine Pythico decimo: in v. 4 *Πυθώ,* in v. 8 *ὁ Παρνάσιος μυχός,* in v. 15 *ὑπὸ Κίρρας πέτραν.* De adiectivo *Παρνάσιος* iam supra diximus, verum etiam verbis „sub Cirrhae rupe“ Pythonem significari loco apud Pindarum inspecto nemo negabit, cum hic de certaminibus Delphicis agatur et Cirrha urbs ab urbe Pythone proxime afuerit.

Iam quamvis omnia perlustremus carmina Pythica, nullum tamen ut investigemus continget exemplum ullius appellationis Pythus aut in stropha eadem aut in systemate eodem repetitae. In uno carmine Olympico secundo Pindarus postquam in v. 39 Pythonem ipsam commemoravit, iam in v. 49 ad idem nomen recurrit; sed cum inter duos illos locos non solum tota stropha intersit, sed etiam novi systematis initium factum sit, regula illa minime labefactatur.

Restat, ut examinemus, num Pindarus eundem dicendi modum in NEMEAEIS et ISTHMICIS carminibus servaverit: quamquam non eodem studio et amore in his, quo in odis Olympicis et Pythicis, certaminum regionem depinxit. Quod nescio utrum factum sit, quia Nemeorum et Isthmiorum aestimatio minor erat quam Olympiorum et Pythiorum, id quod Pindarus ipse significat in carminis Nemeaei decimi v. 32, an quia ipsa illa regio fluviorum et montium amoenitate

minus excellebat. Neque tamen non una alterave circumlocutio speciose ficta his in carminibus occurrit.

Sane in carminis Nemeaei alterius v. 4—5 legimus *Νεμεαίου ἐν πολυυμνήτῳ Διὸς ἄλσει* (Nemeaei in celebratissimo hymnis Iovis loco) pro nomine proprio Nemeae, quo in v. 23 demum urbs vocatur. Nec minus quarti carminis Nemeaei in v. 17 Pindarus Nemeae nomen verbis *Κλεωναίου ἀπ' ἀγῶνος* variavit, postquam in v. 9 Nemeam iam ipsam memoravit. Nam cum Cleonaeos, a quorum urbe lucus Nemeaeus non longe aberat, diu praesides ludorum ibi apparatorum fuisse ex scholiasta (p. 425 et 426 Boeckh) et Plut. Vit. Arat. c. 28 compertum habeamus, dubium non est, quin Cleonaeum illud certamen, unde coronarum sertum carmine suo victori deduci Pindarus gloriatur, Nemea intellegenda sint.

Accedit, quod carminis decimi in v. 26 Nemea nomine proprio appellata poeta ter iam victorem *σεμνοῖς δαπέδοις ἐν Ἀδραστείῳ νόμῳ* coronam adeptum esse in v. 28 praedicat. Quibus verbis urbem Nemeam contineri efficitur ex iis, quae apposita sunt, *ἐν Ἀδραστείῳ νόμῳ*. Nam cum septem illi heroes ex Peloponneso contra Thebas profecti apud Nemeam consedissent, et Archemorus, Lycurgi filius, dum Hypsipyle serva, cui curandus puer erat traditus, illis fontem ostendit, a serpente esset necatus, Adrasto Argivo auctore in pueri honorem Nemea condita esse feruntur, et certe postea quoque secundum legem ab Adrasto institutam certamina disposita putabantur. Deinde in v. 41 Pindarus denuo per ambages nomen Nemeae reddere maluit, ubi victorias maiorum Theaci enumerans exclamat: *νικαφορίαις γὰρ ὅσαις Προίτοιο τόδ' ἱπποτρόφον ἄστυ θάλησεν Κορίνθου τ' ἐν μυχοῖς καὶ Κλεωναίων πρὸς ἀνδρῶν τετράκις.* Nam victorias illas apud Cleonaeos viros partas eas esse, quas Theaci gens Nemeae adepta erat, quis non sentiet, si quidem ea, quae supra de Cleonaeorum in certaminibus Nemeaeis praesidio exposuimus, perpenderit? Consulto autem Nemeae nomen tribus his ac diversis locutionibus a Pindaro expressum esse clarissime ex eo concludi posse videtur, quod Isthmi quoque nomen quasi cum Nemea communicatum ter diversum in modum reddidit in hoc carmine, quippe quod non ad unam certamque victoriam praedicandam

scriptum sit, sed ad *ἐπινίκια* Argis celebranda post universas victorias, quas Theaei gens plurimas et in Nemeaeis et in Isthmicis certaminibus reportaverat. Itaque Pindarus postquam in v. 26 Theaeum et Nemeae et in Isthmo coronam cepisse narravit, in v. 27—28 accuratius exponit ter illum et in sacris campis secundum Adrasteam legem et in maritimis portis (*ἐν πόντοιο πύλαισι*) vicisse. Ubi ut sacri campi Nemea, ita maris portae intellegendae sunt Isthmus, per quem accessus ad mare Aegaeum non secus patet atque ad Ionium. Neque minus ubi tertium Nemeaeorum certaminum mentio fit, Isthmi quoque nomen novo artificio circumscriptum est. Nam in v. 42 per verba *Κορίνθου ἐν μυχοῖς* Isthmus significatur, cum Corinthus ipsa in Isthmo sita esset et Corinthii Isthmicis ludis praesiderent.

Neque tamen eadem ubique diligentia atque hoc loco, ne ad nomen antea appellatum regrederetur, Pindarus cavit. Nam cum carminis Nemeaei sexti et in v. 12 et in v. 20 Nemea nomine proprio appellata sit, quamquam repetitio non in eadem stropha fit, tamen odae huius orationem paullo minus accurate limatam esse concedendum est.

Simili modo Isthmi nomen poeta in carmine Isthmico tertio repetivisse videtur, ubi legitur in v. 11 *ἐν βάσσαισιν Ἰσθμοῦ δεξαμένῳ στεφάνους* (in convallibus Isthmi adepto coronas), cum in v. 20 eae, quibus hodie utimur, editiones hanc praebeant lectionem uno codice Vaticano secundo firmatam: *εὐμαχανίαν γὰρ ἔφανας Ἰσθμίοις ὑμετέρας ἀρετὰς ὕμνῳ διώκειν* (copiam enim aperuisti Isthmiis vestras virtutes hymno prosequendi). Sed illic agitur de Isthmo ipso, hic de certaminibus Isthmicis, et praeterea duo illi loci novi systematis initio dirempti sunt. Quodsi cum Bergkio auctoritatem codicis Vaticani secundi (B) secuti a v. 19 novum carmen ordimur, ne minime quidem Pindarus in repetitione eiusdem appellationis vitanda neglegentior videtur fuisse. Quanto enim studio alibi Isthmi nomen per ambages reddere studuerit, intellegitur ex eo, quod in eiusdem carminis v. 37—38 Neptunus, qui Melisso hanc Itshmicam victoriam tribuerit, dicitur *ὁ κινητὴρ γᾶς Ὀγχηστὸν οἰκέων καὶ γέφυραν ποντιάδα πρὸ Κορίνθου τειχέων*. Speciosissimo invento hic Isthmus locutione

„pons marinus ante Corinthi moenia“ insignitur, cum per Isthmum prope Corinthum situm tamquam per pontem in mari factum ex Peloponneso in Megaridem et Atticam eatur.

§ 2.

Quoniam omnibus his exemplis satis demonstrasse mihi videor in locis quidem, ubi laudanda victoria erat parta, nominandis Pindarum eiusdem appellationis repetitionem quam diligentissime vitasse, nunc videamus, num regulam illam supra memoratam in patriis quoque victorum urbibus appellandis servaverit. Quas potissimum una cum victore laudibus efferri nemini mirum videbitur, qui reputaverit veterum hominum sententia omnes cives tam arte, ut ab ea divelli nequeant, cum patria coniunctos esse.

Ac principem quidem in his locum AEGINA tenet, cum ex quadraginta et quattuor, quae nobis servata sunt, epiniciis quarta pars Aeginenses celebret victores. Praecipue autem in Nemeis, quippe quae non procul ab eorum insula haberentur, robur et virtutem suam Aeginetae praestitisse videntur; nam Nemeaeorum carminum plus quam dimidia pars in viros, qui oriundi erant ex praeclarissima illa Aeacidarum insula, scripta est. Tunc quasi auream aetatem Aeginetarum reipublicae fuisse etiam ex artis fingendi monumentis, quae initio huius saeculi reperta sunt, compertum habemus. Egregia enim illa simulacra, quae stantia illic in fastigiis templi Minervae Aeginensium heroum facta illustrare putantur, nobis monstrant, quantopere artes tum in insula Aegina floruerint. Cuius magnitudinis et splendoris, qui quidem paullo post anno quadringentesimo quinquagesimo sexto ab Atheniensibus exstinctus est, imago ad animum nostrum refertur, si Pindari epinicia perlegimus et appellationes, quibus Aegina insignitur, consideramus.

Quam eleganter carminis Olympici octavi in v. 20, ubi victor praedicatur, quia *ἐξένεπε κρατέων πάλᾳ δολιχήρετμον Αἴγιναν πάτραν* (promulgavit vincens lucta longiremem Aeginam patriam), navales opes Aeginetarum significatae sunt? In v. 25 autem et seqq. aequitatem illorum in iure exercendo

Pindarus laudibus effert, cum insulam nominat τάνδ' ἁλιερκέα χώραν . . . Δωριεῖ λαῷ ταμιευομέναν ἐξ Αἰακοῦ (hanc mari munitam terram a Doriensi populo administratam inde ex Aeaco). Nempe ipse Aeacus, Aeginae heros, iustitiae laude tam clarus fuit apud omnes Graecos, ut in numero inferorum iudicum collocaretur. Nec minus in v. 51 Aeginae nomen, quamquam minus sollemniter, per ambages redditum est; nam adverbium δεῦρο hic de eo loco dictum est, de quo sermo fit, i. e. de Aegina, quam ad insulam Neptunus Aeacum Troia ope eius condita aureo curru adduxit. Sed etiamsi quis neget simplici hoc adverbio Pindarum ideo usum esse, quia nomen Aeginae repetere noluerit, — mihi quidem δεῦρο illud audacule dictum videtur, cum haec oda non Aeginae, sed Olympiae cantata sit, ut Boeckhius ostendit — tamen in ultimo carminis versu poeta Aeginae nomen artificio quodam reddidit Iovem, ut victorem et πόλιν (patriam eius urbem) benevolentia amplecteretur, implorans.

Simili modo ne ad priorem Aeginae appellationem reverteretur, Pindarus in carmine Pythico octavo vitavit, ubi legimus in v. 22 et seqq. ἁ δικαιόπολις ἀρεταῖς κλειναῖσιν Αἰακιδᾶν θίγοισα νᾶσος (iusta civitate insignis virtutes inclutas Aeacidarum nacta insula), in v. 38 πάτραν Μιδυλιδᾶν, quorum ex gente victor erat, in v. 65 οἴκοι i. e. in victoris patria, ubi iam antea in domesticis certaminibus gloriam adeptus erat, in v. 98 Αἴγινα φίλα μᾶτερ.

Maior autem numerus variarum Aeginae appellationum in carminibus Nemeaeis inest. Quorum in quinto carmine postquam in v. 3 insula suo nomine introducta est, in v. 8 poeta victorem laudat, quod gloria decoraverit ματρόπολιν, φίλαν ξένων ἄρουραν (matrem urbem, amantem hospitum terram). Nam hospitalitate quoque Aeginetae praeter ceteros Graecos excellebant, et illud potissimum inter Aeacidas et Herculem iunctum hospitium, quod ipse Pindarus saepius celebravit (cf. Nem. VII 86 et Isthm. V 35), clarissimum erat. Deinde in v. 15 Pindarus, cum Telamonis et Pelei scelus Aeginae in insula contra fratrem Phocum commissum (cf. Apollod. III 12, 6, 11) leviter attingat, εὐκλέα νᾶσον illis post hoc facinus relinquendam fuisse narrat et in proximo versu vereri se fingit

pluribus explicare, quis deus eos ἀπ' Οἰνώνας pepulerit. Oenonam enim vetus Aeginae nomen fuisse, priusquam Iuppiter in hac insula Aeginam nympham, a qua illa novum traheret nomen, sibi coniungeret, ex Herodoto VIII 46, ex Strabone VIII p. 375, ex Pausania II 29, 2 etc. compertum habemus. Itaque in primo huius odae systemate Pindarus quattuor prorsus inter se diversis appellationibus Aeginae nomen expressit. Proxima quidem carminis pars caret similibus circumlocutionibus, cum hic non secus atque in ceteris carminibus mediis fere omnibus poeta non de victoris rebus, sed de fabula aliqua antiqua disserat, qua de re infra accuratius dicemus; sed in tertio systemate de integro quasi accedit ad laudem victoris et patriae eius. Postquam igitur in v. 41 optimo iure ab ipso Aeginae nomine exorsus est, in v. 45 victorem iam puerum aequales ad certamen progressos οἴκοι superasse praedicat reiecta vocabuli Aeginae repetitione. Iam in v. 47 πᾶσα πόλις Aegina intellegenda est, cum poeta insulae et urbis in ea sitae notiones de industria confundat. Quid? in v. 53, ubi victor, quia προθύροισιν Αἰακοῦ florum virentes tulerit coronas cum flavis Gratiis, celebratur, nonne novo quodam artificio Pindarus Aeginae nomen reddidit? Nam quamvis 'Aeaci vestibulum' templum illius herois intellegi possit, in quo Themistius victoris avus coronas Epidauricis in certaminibus acceptas suspenderat, tamen generaliter Aeginam insulam poeta significat, quae mihi quidem aptissime Aeaci vestibulum nominari posse videtur, cum hunc summum inter Aeginenses heroas certe totam per insulam sancte venerati sint. Itaque et in initio et in fine huius carminis Aegina insula quaternis atque inter se diversis appellationibus insignita est, ita ut primum quidem nomine proprio notaretur, deinde circumlocutiones pro nomine, quod repetere nolebat, poeta substitueret.

Eadem insula in carmine Nemeaeo septimo novis et variis appellationibus ornatur. Initio quidem, ubi generaliter de vera gloria, quam nisi dis faventibus homines adipisci non possint, disserit, Pindarus in transcursu Aeginae mentionem facit verbis his, quae versu nono continentur: πόλιν φιλόμολπον οἰκεῖ δορικτύπων Αἰακιδᾶν (urbem cantionum studiosam habitat

lanceis frementium Aeacidarum) neque in v. 50, ubi insulam nomine proprio affatur, pluribus verbis in laude eius praedicanda immoratur; verum in fine carminis circumlocutiones non modo inter se, sed etiam ab his, quae antea adhibitae erant, diversae cumulantur. Etenim postquam Pindarus in v. 83, ut Iovis deorum regis laus *δάπεδον ἂν τόδε* celebraretur, chorum vel se ipsum admonuit, ubi verbis *δάπεδον ἂν τόδε,* cum haec oda Aeginae cantata sit, hanc insulam significari facile perspicitur, in v. 85 Aeacum nominat *ἐᾷ*[1] *πολίαρχον εὐωνύμῳ πάτρᾳ.* Aeaci autem patria erat Aegina, qua in insula Iuppiter eum ex nympha Aegina genuerat. Huc accedit, quod poeta ad fortunam secundam victori a dis precandam transiens Sogenem, si quidem Hercules esset bonus vicinus, inter delubra huius dei domum habentem feliciter *προγόνων εὐκτήμονα ζαθέαν ἀγυιάν* habitaturum esse in v. 92 praedicit. Qui vicus iam diu a victoris maioribus obtentus certe Aegina intellegenda est, praesertim quae propter templorum multitudinem rectissime appelletur opulenta et divina, ut Muellerus monet in Aegineticorum libro p. 146.

Quamquam pluribus exemplis ex carminibus in Aeginenses victores petitis Pindarum patriae illorum nomen iterum iterumque laude affectae sollertissime variasse potest demonstrari, satis erit, si carminis Nemeaei octavi, qui huc spectant, locos protulerimus, qui cum facile intellegantur, non egent explicatione. Postquam enim in v. 6 huius odae, ubi legitur *Διὸς Αἰγίνας τε λέκτρον,* nympha pro insula nominata est, cum utramque rationem lyrici confundere et miscere soleant, in v. 7 Aeacus antiqua insulae appellatione adscita dicitur *Οἰνώνας βασιλεύς.* In v. 13 autem Aeginae nomen locutione *πόλιος ὑπὲρ φίλας,* et in v. 46 verbis *σεῦ πάτρᾳ* variatur.

Sed ut ne in ceteris quidem carminibus in Aeginetas conscriptis victoris patriam intra unum systema bis eodem nomine appellatam esse perspiciatur, etiam reliquas quae apud Pindarum leguntur Aeginae appellationes describemus. Ita legitur

[1] Ita scribendum esse puto cum Hermanno etc. (cf. T. Mommsen).

Nem. III v. 2—3 *τὰν πολυξέναν … Δωρίδα νᾶσον Αἴγιναν*, v. 13 *χώρας, Μυρμιδόνες ἵνα πρότεροι ᾤκησαν*, v. 68 *τάνδε νᾶσον*;

Nem. IV v. 11—12 *Αἰακιδᾶν ἠὔπυργον ἕδος*, v. 22 *Αἰγίνας*, v. 46 *Οἰνώνᾳ*;

Isthm. IV v. 20 *τάνδ' ἐς εὔνομον πόλιν*, v. 30 *Οἰνώνᾳ*, v. 39—40 *Αἴγιναν … πάτραν διαπρεπέα νᾶσον*;

Isthm. V v. 8 *Αἴγιναν*, v. 21 *τάνδε νᾶσον*, v. 65 *τάνδε πόλιν θεοφιλῆ*, v. 69 *ἄστει ἑῷ*;

Isthm. VII v. 16 *Αἰγίνᾳ*, v. 21 *νᾶσον Οἰνοπίαν*, v. 55 *Αἴγιναν*.

De Aegina quidem abunde expositum est. Examinemus igitur, num eandem rationem Pindarus in ceteris quoque urbibus, quarum cives propter victorias in certaminibus partas celebrantur, nominandis instituerit.

Mirum nobis videatur, quod in quattuor carminibus in SYRACUSANOS victores scriptis (Ol. I. Ol. VI, Pyth. II, Pyth. III) de illorum patria urbe Pindari praesertim temporibus florentissima nonnisi brevissime mentio fit. Quae quamquam in nulla usquam carminum parte bis eodem nomine appellata est, tamen si a locutione *Ἀρέθοισαν ἐπὶ κράναν* in v. 69 carminis Pythici tertii et ab appellatione *Ὀρτυγία* in v. 6 carminis Pythici alterius discesserimus, nullo loco Syracusarum nomen variatum est. Suspicor autem hoc ideo factum esse, quia cum tribus illorum carminum Hieronis tyranni victoriae curules celebrarentur, regis laudes magis elucere quam urbis par fuerit.

Longe aliter res se habet in carmine Olympico septimo, cum hic in RHODIO victore praedicando fabulae quoque patriae illius diligenter enarrentur. Itaque Pindarus postquam in v. 14, ut solet fere in carminum introitu, ab insulae nomine proprio exorsus est cognominibusque *παῖς Ἀφροδίτας* et *Ἀελίοιο νύμφα* additis, quanta appellationum copia sibi praesto esset, demonstravit, statim in v. 18, ubi victorem et patrem eius dicit *Ἀσίας εὐρυχόρου τρίπολιν νᾶσον πέλας ἐμβόλῳ ναίοντας*, nova quadam et tamquam a geographia petita locutione Rhodi nomen reddit. Nam triurbs illa insula Asiae spatiosae prope rostrum Rhodus ipsa est, quae contra Peraeam, quae dicitur, Cariae partem cunei forma in mare

prominentem sita tribus urbibus Lindo, Ialyso, Camiro excellebat. Quae urbes cum a Tlepolemo Heraclida, qui propter cognati necem Tirynthe ex patria expulsus Apolline auctore Rhodum se contulerat, conditae dicerentur, Pindarus ubi ad huius herois laudes transit, Rhodi nomen ita declinat, ut ille in v. 30 dicatur *τᾶσδε χθονὸς οἰκιστήρ*. Nam „hanc terram" Rhodum esse facile cognoscitur. Sed in v. 33—34, cum oraculum Tlepolemo ab Apolline editum explicetur, paullo obscurius oraculorum more poeta Rhodum vocat *ἀμφιθάλασσον νομόν, ἔνθα ποτὲ βρέχε θεῶν βασιλεὺς ὁ μέγας χρυσέαις νιφάδεσσι πόλιν*. His enim verbis orationem ad vetustiorem illam fabulam Rhodiam traducit, secundum quam, cum Minerva nata esset, Iuppiter Rhodo insulae auream pluviam demisit, et Solis filii deam primi colere a patre iussi sunt, qui cum sacra minus recte fecissent, malebat Minerva Athenis habitare. Deinde postquam in v. 56 poeta, ubi antiquissimarum de insulae origine fabularum memoriam redintegrat, ad Rhodi nomen recurrit, in v. 70 victoris patria *νᾶσος* dicitur. Sed iam in v. 71 Rhodus denuo proprio nomine appellatur, ubi etsi non insula, sed nympha intellegenda est, tamen cum Pindarus de industria hanc pro illa substituere videatur, idem nomen, quod in v. 56 dreprehendimus, repetitum esse concedemus. Quamquam si totum fere systema inter utrumque locum interesse perpenderimus, Pindarum suo quodammodo iure ad priorem appellationem recurrisse profitebimur, praesertim cum circumlocutione per verbum *νᾶσος* inserta quasi excusaverit hanc licentiam. Ad postremum autem in v. 75 poeta Solis et Rhodi nepotes *πατρωίαν γαῖαν* tripertito divisisse narrans per ambages insulae nomen reddidit, cum patria terra intellegenda sit Rhodus, quam Sol, cum dei in divisione orbis terrarum absenti provinciam nullam dedissent, tum forte ex mari suborientem sibi depoposcerat.

Nunc ad considerandas ceterorum victorum patrias urbes nos convertamus, quae, postquam rationem et viam nomina variandi a Pindaro institutam satis ostendimus, brevius paullo tractari possunt: In carmine Olympico nono, quo Locri cuiusdam Opuntii victoria celebratur, OPUNTIS nomen varium in modum redditum est. Post proprium enim urbis nomen

(v. 14) habes in v. 20 *Λοκρῶν ματέρ' ἀγλαόδενδρον*, in v. 21 *φίλαν πόλιν*, in v. 41—42 *Πρωτογενείας ἄστει*, in v. 66 *πόλιν*. Quibus verbis omnibus eandem Opuntem urbem significari carmine inspecto facile intellegitur, unum si addimus, Protogeniam hoc loco Deucalionis et Pyrrhae filiam esse, quae cum parentibus Opunte habitabat et generis regum Opuntiorum auctor facta est.

Nec minus sollemniter in carmine Nemeaeo decimo Argivorum urbis mentio fit. Nam urbem in v. 2, ut in initio fere solet, nomine proprio introductam nuncupat Pindarus in v. 19 *Ἀργεῖον τέμενος* eleganter significans ARGOS, qua in urbe Hera summa religione colebatur, Iovis uxoris tamquam domum esse. Cuius deae ex necessitudine cum Argivis intercedente ea quoque ducta est appellatio, qua in v. 36 poeta Argos insignit, cum *Ἥρας τὸν εὐάνορα λαόν* (ad Iunonis fortem populum) oleae fructum, quem victor Theaeus Athenis praemium virtutis adeptus erat, in terra igni usta apportatum esse praedicat. Deinde postquam in v. 40 Argorum nomen repetivit, in v. 41 denuo victoris genus laude affecturus exclamat: victoriis enim quot *Προίτοιο τόδ' ἱπποτρόφον ἄστυ* floruit! Proetus enim cum aliis quidem fabulis Tirynthe in urbe, aliis Argis regnasse tradatur, cumque certe posteri eius diu huius urbis imperium tenerent, non potuit Argos aptius ornari quam memorata prisca illa stirpe regia.

Item in carmine Olympico altero in Theronem Agrigentinorum regem condito patriam victoris urbem modo v. 6 *Ἀκράγαντος*, modo v. 9 *ἱερὸν οἴκημα ποταμοῦ*, modo v. 14 *ἄρουραν πατρίαν*, modo v. 91 *Ἀκράγαντι*, modo v. 93 *πόλιν* dixit Pindarus. Sacrum autem fluvii domicilium dicitur ACRAGAS in v. 9, quia urbs teste ipso poeta in Pyth. XII 1 et seqq., ubi eam alloquitur: *καλλίστα βροτεᾶν πολίων . . .*, *ἅ τ' ὄχθαις ἔπι μηλοβότου ναίεις Ἀκράγαντος*, ad fluvium eodem nomine insignem sita erat.

Praeterea in carmine Olympico quinto, in quo victoris CAMARINA ex urbe oriundi laudes insunt, legitur in v. 2 *Ὠκεανοῦ θύγατερ*, v. 4 *τὰν σὰν πόλιν, Καμάρινα*, v. 8 *τὰν νέοικον ἕδραν*, v. 20 *πόλιν τάνδε*. Duabus quidem primis appellationibus poeta nympham Camarinam affatur, sed pro lubitu deam pro

urbe deae sacra nominari, ut haec maiore verborum magnificentia ornetur, iam supra ostendimus.

In carmine Isthmico primo in Thebani victoris honorem composito, ubi invenimus in v. 1 *Μᾶτερ ἐμά, χρύσασπι Θήβα*, v. 10 *πατρίδι*, v. 15 *Θήβαις*, v. 25 *ῥεέθροισι Δίρκας*, v. 58—59 *ἑπταπύλοις Θήβαισι*, quod in v. 15 et 59 ad THEBARUM nomen recurritur, cum utramque repetitionem circumlocutio interposita praecedat, mirum non est.

Paullo maior dubitatio nobis eo movetur, quod in oda Pythica quarta, qua vel longissima omnium Pindarus Arcesilai CYRENARUM regis victoriam curulem illustravit, quamquam saepius de urbe ipsa agitur, haec eodem semper nomine appellata est. Nam cum nomen Cyrenarum proprium et v. 2 et v. 62 et v. 261 et v. 276 et v. 279 deprehendamus, quod ultimo loco duo tantum versus inter easdem appellationes intersunt, molestum sane videbitur. Itaque quamvis v. 277 Pindarus novi systematis initium sumpserit, tamen concedendum est poetam non quidem discessisse a lege illa, quam eum statuisse sibi certis argumentis demonstrasse nobis videmur, sed quia Cyrenaicae fabulae — si quidem illis temporibus iam excultae erant — ei parum erant notae, nullam Pindaro facultatem fuisse urbem maiore verborum ornatu nuncupandi, nisi ad vulgares confugeret locutiones. Quae sententia eo firmatur, quod ne in proximo quidem carmine in eundem regem scripto nisi in v. 49, ubi generalem appellationem *πατρωίαν πόλιν* invenimus, Cyrenarum nomen ullo modo variatum est. In eiusdem libri oda nona quidem, ubi legitur v. 4 *Κυράνας*, v. 6 *παρθένον ἀγροτέραν*, v. 13 *κούρᾳ Ὑψέος*, v. 18 *Κυράναν*, v. 56 *εὐκλέα νύμφαν*, v. 61 *φίλας ὑπὸ ματέρος*, v. 69 *καλλίσταν πόλιν*, v. 73 *Κυράναν*, v. 91 *πόλιν τάνδε*, Pindarus non frustra maiorem dicendi ubertatem et copiam ita appetivit, ut non solum ipsius urbis laudes exornaret, sed etiam varios nymphae Cyrenes casus nempe ut conditricis artissime cum urbe coniunctae enarraret; nec tamen per omnia carmina hanc rationem sequi voluit poeta, ne eodem artificio repetito taedium moveret.

Ex ceteris urbibus exquisitioribus verbis instructae sunt hae:

HIMERA Ol. XII v. 2 *Ἱμέραν εὐρυσθενέα*, v. 19 *θερμὰ Νυμφᾶν λουτρά*;

CORINTHUS Ol. XIII v. 4—5 *τὰν ὀλβίαν Κόρινθον, Ἰσθμίου πρόθυρον Ποσειδᾶνος ἀγλαόκουρον*, v. 50 *Κορίνθῳ*, v. 59 *ἐν ἄστει Πειράνας*.

ORCHOMENOS Ol. XIV v. 4 *Ἐρχομενοῦ*, v. 19 *ἁ Μινυεία*.

Ubi ut Pindarus nusquam intra unum systema idem nomen repetivit, ita ne ex reliquis quidem carminibus eiusmodi repetitionis exempla afferri possunt.

§ 3.

Quoniam quam variis appellationibus Pindarus omnium fere victorum patrias urbes ornaverit, ostendimus, nunc videndum est, num in ipsis quoque victoribus laudandis, ne eodem nomine bis uteretur, diligenter caverit. Qua in re non mirabimur, si non eandem dicendi ubertatem adsecutus est, cum poeta minime potuerit nova victorum cognomina parere. At tamen hic quoque legem illam sibi statutam servavit, cum nomina propria patronymicis et locutionibus a vincendi modo petitis variaret, adeo ut exordio fere a nomine victoris proprio facto cum aliqua circuitione significaret et longiore narratione interposita easdem repeteret appellationes. Quam ad rem penitus perspiciendam non alienum videtur paucis de compositione Pindari carminum agere. Ex quo enim tempore Rudolfus Westphal veterem illum Terpandri *νόμον* carminum septifariam divisorum ex quodam apud Pollucem loco repetivit et hanc, quae olim antiquissimis lyricis certa lex fuerat, tamquam normam etiam ab Aeschylo in canticis atque a Pindaro in odis componendis observatam esse admirabili acumine demonstravit, dubitari non potest, quin inter singulas Pindaricorum carminum partes diligenter internoscendum sit. Atque quamquam non omnibus in odis septem illae accurate distinctae sunt partes, tamen hoc plerumque tenuit poeta praeclarissimus, ut initio carminis victoris laudes praedicaret dis immortalibus non raro gratias agens vel novam victoriam ab iis precans, deinde in media parte, quae olim nominabatur *ὁ ὀμφαλός*, pluribus verbis

fabulam aliquam cum patria victoris urbe vel vincendi modo coniunctam epico more enarraret, tum in fine carminis ad victoriam celebrandam reverteretur. Praeterea inter haec certa tria membra saepe minores insertae sunt particulae ad transitum faciendum, ut re vera septem illae Terpandri partes, quarum primae tres ultimis tribus respondent, in aliquot Pindari carminibus recognosci posse videantur. Conf. etiam Eduardum Luebbert de Pindaro nomorum Terpandri imitatore in programmate Bonnensi a. 1885 disputantem. Multo rarius poeta Thebanus carmina ita disposuit, ut victoris laude in mediam partem translata in initio et fine fabulam aliquam exponeret. Itaque cum plurimarum odarum initium, non solum argumentum sed etiam versuum numerum si spectamus, cum fine fere congruat, non mirabimur, si Pindarus verborum quoque delectu hanc rationem expressit. Illud igitur, quod, dum urbium appellationes consideramus, animadvertimus, sub finem carminum poetam nonnumquam ad eadem recurrere nomina, quibus initio usus sit, servata tamen semper illa regula, ne repetitio intra unum idemque systema fiat, hoc in plerisque victorum ipsorum appellationibus valere nunc videbimus.

Nam in carmine Olympico septimo Pindarus postquam in v. 13 Diagorae Rhodii victoris nomen proprium pronuntiavit, in v. 15 artificio quodam nomen reddens ideo se carmine tamquam appulisse animum ad Rhodum insulam contendit, ut laudaret *πελώριον ἄνδρα παρ' Ἀλφεῷ στεφανωσάμενον*. Nempe Olympiae ad Alphei fluminis aquas Diagoras victoriam adeptus erat. Deinde in v. 80 Diagorae nomine repetito poeta in v. 89 victorem, qui inter pugiles certaverat, *ἄνδρα πὺξ ἀρετὰν εὑρόντα* vocat. Itaque consulto et in exordio et in epilogo huius odae primum nomine proprio, deinde aliqua appellatione a vincendi modo petita usus videtur esse. Eadem fere ratio intercedit inter carminis Olympici noni initium et finem. Nam cum in v. 4 et in v. 87 Epharmosti Opuntii nomen proprium usurpetur, in v. 13-14 et v. 110 poeta per ambages nomen reddidit, illic *ἀνδρὸς κλεινᾶς ἐξ Ὀπόεντος*, hic *τόνδ' ἀνέρα* verbis usus, ut duo nomina propria et duae circumlocutiones inter se responderent. Quocum illud congruit, quod carminis Olympici decimi in v. 18 et v. 92

poeta Agesidami victoris nomine proprio utitur, sed in v. 2 et v. 99 eundem ope locutionis a patris nomine petitae *Ἀρχεστράτου παῖδα* dicit. Paullo pluribus victoris appellationibus abundat carmen Olympicum sextum, (v. 9 *Σωστράτου υἱός*, v. 12 *Ἀγησία*, v. 18 *ἀνδρὶ κώμου δεσπότᾳ Συρακοσίῳ*, v. 77 *Ἀγησία*, v. 80 *ὦ παῖ Σωστράτου*, v. 98 *Ἀγησία*). Cuius odae in fine quod Pindarus bis ad victoris nomen rediit, non erat cur hoc vitaret, cum non solum totum systema, sed etiam circumlocutio illa *ὦ παῖ Σωστράτου* inter utramque repetitionem intercedat. Praeclarissimam autem illam in v. 18 locutionem, per quam Agesias comissationis dominus et praeses insignitur, Pindarus ideo excogitasse videtur, ne in eadem semper nomina incidens taedium audientibus moveret. Ita enim de industria omnes victoris appellationes disposuisse videtur, ut nomina propria ampliore usque locutione interposita variaret.

Iam ad Pythica carmina transitum faciamus. In prima oda Hieronis Syracusanorum regis nomen non minus sollerter expressum mirabimur. Quod carmen cum ad Aetnae urbis nuper ab Hierone conditae laudes praedicandas compositum esset, ut in ipsa quoque victoria Aetnaeum se renuntiari ille iusserat, aptissime Hiero in v. 31 *κλεινὸς οἰκιστήρ* dicitur et in proximo demum versu suo nomine appellatur. Deinde in v. 42 Pindarus eundem simpliciter dicit *κεῖνον ἄνδρα*, nempe de quo sermo est, et nomen eius in v. 56 repetitum duobus versibus interpositis ita variat, ut Deinomenis filii illius mentione facta Hieronem appellatione *πατέρος* significet. Iam postquam in v. 62 denuo ad regis nomen proprium rediit, in v. 69 illum insignit verbis *ἁγητὴρ ἀνήρ* similiterque in v. 73 *Συρακοσίων ἀρχῷ*. Nec minus in v. 79 inest signum Hieronis, ubi victoriam apud Himeram a Poenis reportatam cum Salaminia et Plataeensi comparat Pindarus et propter illam se *παίδεσσιν Δεινομένεος* hymno gratiam adipisci gloriatur. Nam inter Deinomenis filios, qui Carthagienses Himerensi proelio devicerunt, hic potissimum Hieronem significari, cum totam per odam nomen eius illustretur, facile est ad intellegendum. Itaque ne in hoc quidem carmine Pindarus nisi circumlocutione interposita ad priorem victoris

appellationem revertit neque unquam idem nomen intra unius systematis corpus repetivit, cum etiam inter versus 56 et 62, in quibus nudum Hieronis nomen legitur, novi systematis initium factum sit. Eadem diligentia hanc regulam in carmine Pythico octavo observavit, per quod Aristomenis Aeginensis, Xenarcis filii, victoria celebrata est. Etenim initio facto in v. 5 a victoris nomine proprio poeta in v. 19—20 eum nuncupat *Ξενάρκειον υἱόν*. Sed postquam in v. 33 novo quodam artificio usus evitato nomine proprio illum affatus est *ὦ παῖ* — puer enim Aristomenes Pythiis lucta vicerat —, in v. 80 nomen proprium repetit.

Iam vero in carmine Nemeaeo primo Chromii victoris nomen ter diversum in modum variatum est (v. 7 *Χρομίου*, v. 9 *κείνου ἀνδρός*, v. 20 *ἀνδρὸς φιλοξείνου*, v. 29 *Ἁγησιδάμου παῖ*). Ad postremum ut ex Isthmicis quoque carminibus nonnulla promamus exempla, odam quartam et quintam huius libri perlustrabimus, quibus in Phylacidae pancratiastae victorias scriptis et huius et Pytheae fratris, Lamponis filiorum, laudes una peraguntur. Quorum carminum prioris in v. 16—17 nomina propria fratrum occurrunt, sed in v. 19 Pindarus ea per ambages ita expressit, ut cum Gratiis se venisse *Λάμπωνος υἱοῖς* caneret. Nec secus in v. 49, ubi legimus *γενεὰν Κλεονίκου*, signum latet Lamponis filiorum, quoniam Cleonicus fuit avus Pytheae et Phylacidae. Sub finem autem carminis horum nomina ipsa in v. 53—54 repetuntur. Item in carmine Isthmico quinto, quo cum filiorum tum patris, ut qui eos ad tanta facinora educaverit, gloria exornatur, Lamponis nomen postquam in v. 3 nude positum est, in v. 16 ita variatur, ut ille dicatur *ὁ Κλεονίκου παῖς*. Nec minus victoris pater in v. 18 appellatione *ἀνδρὸς φίλου* notatur. Nam dilectum virum, cuius postulatis ut obsequantur, Pindarus Parcas ipsas precatur, Lamponem intellegendum esse vel ex eo apparet, quod paullo antea Lamponis desiderium in isdem studiis, quibus tum deditus erat, mortem obeundi expositum est. Optimo autem iure in v. 66 poeta ad nomen proprium patris recurrit.

His exemplis omnibus ostenditur, quanta appellationum ubertate Pindarus victores ornare studuerit. Uno tantum loco

in Pindari carminibus victoris nomen intra idem systema repetitum est. In oda enim Olympica tertia postquam Theron in v. 3 suo nomine nuncupatus et in v. 9 *Αἰνησιδάμου παῖς* insignitus est, et in v. 39 et in v. 43 poeta ad nudum regis nomen proprium revertitur. Hic quidem Pindarus minus diligenter versus limasse videtur, sed molestia repetitionis eo minuitur, quod non in eadem stropha fit. Ac nescio an de industria Theronis nomen in v. 43 repetitum sit, quia priore versu ultima carminis pars, *ἐπίλογος* qui dicebatur, incohata sit. Sed haec hactenus.

§ 4.

Nunc, cum de appellationibus ad victorem et victoriam spectantibus satis copiose disseruisse nobis videamur, quemadmodum deorum et heroum nomina Pindarus variare studuerit, scrutabimur. Ac profecto admirabili verborum ubertate poeta deorum laudes exornavit, cum di ipsi iis, quos diligebant, viris victoriam et in bello et in certaminibus tribuere putarentur, eamque ob rem in plurimis epiniciis pro beneficio grates iis agerentur.

Neque mirum est primum quidem locum inter omnes deos, si a Iove, qui supra ceteros est, discesserimus, APOLLINI a Pindaro tributum esse, quippe qui cum multis artibus tum musicae favere eamque ipse exercere crederetur. Cum igitur nonnullorum carminum media pars epica tota in Apollinis factis enarrandis versetur, speciosissimis inventis ac varium in modum huius dei nomen a poeta expressum est. Ita in carmine Olympico sexto, ubi exponitur, quomodo Apollo Iamidas, quorum ex gente victor oriundus erat, a se prognatos Olympiae in ara Iovis maxima oraculi praesides vatesque hereditario iure constituerit, postquam in v. 35 deus nomine Apollinis introductus est, statim in versu 36 significatur appellatione *θεοῖο*. Sollemnius Apollo in v. 41 nuncupatur *ὁ Χρυσοκόμας*, quod praeclarissimum cognomen a magnifica, quam hodie quoque in huius dei statuis admiramur, coma ductum, cum ante Pindarum Apollini inditum esse non videatur, nescio an Pindarus ipse in eum transtulerit ad

locupletandum circumlocutionum apparatum. Nam exstat quidem epitheton *χρυσοκόμης* iam apud Hesiodum in Theogoniae v. 947, sed de Dionyso dictum. Deinde in v. 49 Apollinis nomen poeta ita variavit, ut appellatione *Φοίβου* ex Homero notissima eum insigniret, nec minus *τοξοφόρος* ille *Δάλου θεοδμήτας σκοπός,* a quo ut ipsi imperium aliquod inter homines daret, Iamus petivisse in versu 59 narratur, Apollo intellegendus est. Etenim cum Delo insula, ut in qua ex Latone esset natus, deus artissimis quodammodo vinculis erat coniunctus, cumque ab antiquissimis temporibus illic summa coleretur religione, quasi custos insulam diligentissime tueri putabatur. Huc accedit, quod in v. 62 quoque delitescit signum Apollinis. Nam *πατρία ὄσσα,* quae Iamum honorem petentem Olympiam adducebat, ut Iovis sacerdos ibi fieret, est vox patris Apollinis, cui Iamus ex Euadne matre erat natus. Itaque cum triginta fere versuum spatio sex prorsus inter se diversae appellationes Apollinis contineantur, dubitari vix potest, quin Pindarus de industria hanc locutionum varietatem appetiverit, ne ad eadem nomina relaberetur. Nam potest quidem casu fieri, ut si quem saepius significare velimus, semel iterumve nomen eius variemus, sed in uno carmine temere quemquam sexies diversis, quae praesertim minus sint usitatae, appellationibus insigniri equidem persuadere mihi non possum.

Item in carmine Olympico octavo, ubi legitur in v. 31 *παῖς ὁ Λατοῦς,* in v. 41 *Ἀπόλλων,* in v. 46 *θεός,* quamquam minus saepe Apollinis mentio facta est, tamen poetam huius dei nomen variare voluisse consentaneum est. Neque in carmine Pythico primo Pindarus Apollinem bis eodem nomine introduxit, sed in v. 1 habes *Ἀπόλλωνος,* v. 12 *Λατοίδα,* v. 39 *Λύκιε καὶ Δάλοι' ἀνάσσων Φοῖβε.* Multo autem maiore copia locutionum ad Apollinem spectantium abundat carmen Pythicum tertium, ubi poena a Coronide propter infidelitatem et adulterium per Apollinem repetita enarratur. Cuius odae in v. 14 Apollinis nomen, quod ipsum in v. 11 pronuntiatur, ita variatum est, ut appellatione denuo a crinibus petita ille dicatur *ἀκειρεκόμας Φοῖβος,* neque minus in v. 15 *θεός* est signum Apollinis. Iam vero in v. 27 Pindarus Apollinis nomen bis per ambages reddidit, cum non solum *ναοῦ βασιλεὺς*

Λοξίας, sed etiam σκοπός ille, quem perfidia Coronidis non latuit, Apollo sit. Pindarus enim vulgatam de corvo Coronidis proditore fabulam aspernatus Apollinem ipsum omnium rerum scientem adulterium nefandum cognoscere narrat. Deinde postquam in v. 40 demum poeta ad nomen Apollinis recurrit, in v. 67 deus appellatione Λατοΐδα notatur. Nec minus sollemniter in carmine Pythico nono Apollinis nomen redditur, cum per hanc odam fere totam enarretur amor, quo ille Cyrenen nympham amplectebatur. Quam sollerter deus in v. 5 dicitur ὁ χαιτάεις Λατοΐδας! Quid? in v. 10 nonne novo quodam artificio Pindarus eum Δάλιον ξεῖνον nominat? Nam tamquam hospitem cum nympha ex Pelio rapta in Libyam profectum Apollinem Venus ipsa excepit et nuptias iis paravit. Iam postquam in v. 18 poeta illum appellatione θεῷ insignivit, in v. 26—28 deus apparet εὐρυφαρέτρας ἑκάεργος Ἀπόλλων. Ubi cum Pindarus elegantissime explicet, quomodo Apollo Cyrenen nympham aliquando cum leone luctantem conspicatus Chironem amicum, quae illa esset et num amore eius frui liceret, interrogaverit, in eo, qui sequitur, sermone cum Apolline instituto Centaurus hunc in v. 40 „Φοῖβε“ et in v. 44 „ὦ ἄνα“ alloquitur. Postremo in v. 64 demum poeta nomen Apollinis repetit, ubi non tam de ipso Apolline, quam de Aristaeo filio eius ex Cyrene nato agitur, qui patris et Iovis nomine gregum custos apud Graecos colebatur.

In carmine Nemeaeo nono postquam in v. 1 Apollo suo nomine introductus est, iam in v. 4 novum praeclarissimi dei signum deprehendimus. Nam δίδυμοι παῖδες Latonae paullo antea commemoratae Artemis et Apollo sunt. Deinde in v. 9 pro Apollinis nomine a poeta substituitur Φοῖβος, et in v. 53 nomen ita variatur, ut deus Λατοΐδας dicatur.

Haec fere sunt carmina, in quibus Apollinis nomen saepius artificio quodam redditum est. Sed ut Pindarum ne alibi quidem usquam in uno systemate ad eandem dei appellationem rediisse perspiciatur, ex ceteris quoque carminibus, in quibus quidem plus quam semel Apollinis mentio facta sit, ipsos locos afferemus. Ita legitur

Ol. VII v. 31 ἐς θεόν, v. 32 ὁ Χρυσοκόμας;

Pyth. VIII v. 18 *Ἀπόλλωνος*, v. 61 *ἑκαταβόλε*, v. 67 *ἄναξ*; Pyth. X v. 10 *Ἄπολλον*, v. 33 *θεῷ*, v. 35 *Ἀπόλλων*.

In carmine Pythico quarto (v. 3 *Λατοίδαισιν*, v. 5 *Ἀπόλλωνος*, v. 54 *Φοῖβος*, v. 66 *Ἀπόλλων*, v. 87 *Ἀπόλλων*, v. 176 *Ἀπόλλωνος*, v. 259 *Λατοίδας*, v. 294 *Ἀπόλλωνος*), quamquam in media odae parte Pindarus ter nulla circumlocutione interposita ad nomen Apollinis recurrit, tamen nunquam repetitio intra unum idemque systema fit, neque usquam minus quam duae strophae interiacent. Eandem ob causam neque in carmine Pythico quinto, ubi legitur in v. 21 *Ἀπολλώνιον* (*ἄθυρμα*), v. 37 *θεοῦ*, v. 56 *ὁ ἀρχαγέτας Ἀπόλλων*, v. 74—75 *Ἄπολλον Καρνήϊε*, v. 97 *χρυσάορα Φοῖβον*, neque in Nemeaeo quinto, ubi et in v. 24 et in v. 44 nudum Apollinis nomen exstat, molesta est eiusdem appellationis repetitio.

Simili circumlocutionum copia Pindarus usus est, ubi NEPTUNUM plus semel commemoravit, quippe cuius cum mari et rebus navalibus ratio et necessitudo ingentem cognominum cumulum suppeditaret. Itaque cum in carmine Olympico primo, quomodo Neptunus Pelopem summopere dilectum in Hippodamia uxore potiunda adiuvaret, pluribus verbis poeta persecutus sit, in v. 25—26 ille dicitur *μεγασθενὴς γαιάοχος Ποσειδᾶν*, sed in v. 40 eiusdem nomen per ambages redditum est. Etenim *Ἀγλαοτρίαιναν* Neptunum esse, quamquam nusquam alibi hoc cognomen ei inditum est, tamen cum tridens sit sollemne huius dei signum, facile perspicitur. Simili et quod apud alios poetas frustra quaeras nomine Pindarus in v. 72—73 Neptunum ornavit, cum eum *βαρύκτυπον Εὐτρίαιναν* diceret. Deinde postquam in v. 75 Pelopem, qui ab illo, ut sibi adesset in uxore comparanda, petivit, deum appellatione *Ποσείδαον* salutantem fecit, in v. 86, ne denuo idem nomen repeteretur, Neptunus simpliciter dictus est *θεός*. Item in carmine Olympico tertio decimo Pindarus postquam in v. 4—5 exorsus est ab appellatione *Ἰσθμίου Ποσειδᾶνος*, — in Isthmo enim, ubi tertio quoque anno ludi apparatissimi in honorem eius edebantur, Neptunus praecipue colebatur — in v. 39 quidem non adiecto adiectivo *Ἴσθμιος* ad idem nomen revertitur, sed cum unum systema et dimidium

inter utrumque locum intersit, hoc miri nihil habet. Verum in v. 66 Minerva Bellerophontem, cum habenam auream ad Pegasum domandum dormienti attulerit, admonet, ut, priusquam grave illud opus aggrediatur, *Δαμαίῳ πατρί* taurum immolet. Etenim Pindarus Bellerophontem fingit filium Neptuni ipsius, cum Glaucus illius pater inter homines habitus sit, sicut Amphitryo Herculis. Quam Neptuniam Bellerophontis originem non solum Hyginus fab. 157 confirmat, sed etiam Homerus significare videtur, qui Bellerophontem in Iliade VI 191, quamquam paullo antea Glaucum patrem eius memoraverat, tamen *θεοῦ γόνον* nominavit. *Δαμαῖος* autem Neptunus dicitur propter equos domitos, sicut alibi cognomen *Ἵππιος* ei inditum est. Postremo in v. 78 Pindarus Neptuni nomen ita variavit, ut vetere illo atque Homerico cognomine appellaret *γαιάοχον εὐρυσθενέα*.

Similiter in carmine Pythico quarto postquam in v. 33 Neptunus verbis *γαιαόχου ἀφθίτου Ἐννοσίδα* notatus est, in v. 45 mentio fit *ἱππάρχου Ποσειδάωνος*, quae mutato cognomine in v. 138, ubi legimus *Ποσειδᾶνος Πετραίου*, repetita est. Cognomine enim *Πετραῖος* Neptunus teste scholiasta apud Thessalos colebatur. Sed postquam in v. 173 Pindarus ad nomen *Ἐννοσίδα* rediit, in v. 204 deum verbis *Ποσειδάωνος εἰναλίου* compellat. In v. 207 autem Neptunus novo quodam atque aptissimo artificio dicitur *δεσπότας ναῶν*. Itaque quamquam et in v. 45 et in v. 138 et in v. 204 eodem nomine proprio *Ποσειδάων* appellatus est, tamen cognomine mutato Pindarus varietatem quandam appetivit, quae in fine carminis, in quo Neptuni saepius mentio fit, maxima est.

Huc accedit, quod Pindarus etiam in carmine Olympico sexto, ubi legimus v. 29 *Ποσειδάωνι Κρονίῳ*, v. 58 *Ποσειδᾶν' εὐρυβίαν*, v. 104—105 *χρυσαλακάτοιο πόσις Ἀμφιτρίτας*, et in carmine Olympico octavo, ubi exstat in v. 31 *εὐρυμέδων Ποσειδᾶν* et in v. 48 *Ὀρσοτρίαινα*, et in carmine Isthmico primo, ubi legitur in v. 28 *Ποσειδάωνι* et in v. 46 *Κρόνου σεισίχθον' υἱόν*, Neptunum novis variisque appellationibus donavit.

Ab hac dicendi ubertate in Apolline et Neptuno nuncupandis a Pindaro usurpata illud multum discrepat, quod ubi

IOVIS deorum principis mentionem facit, sine haesitatione idem nomen saepius repetit. Sane in carmine Olympico decimo Iuppiter et in v. 4 et in v. 24 et in v. 44 et in v. 81 et in v. 96 nomine *Διός* appellatur nulla circumlocutione interposita. Per hanc quidem odam poeta, priusquam ad eandem appellationem recurreret, semper novi systematis initium fecit; verum in carmine Nemeaeo altero, ubi et in v. 3 et in v. 5 et in v. 24 legitur *Διός*, primo loco intra unam eandemque stropham idem nomen repetitum est. Adde, quod in carminis Olympici alterius versibus 3, 58, 70, 76, 88 appellatio *Διός* exstat, cum nomine *Ζηνός* in carminis Olympici tertii decimi v. 74 et v. 88 poeta intra idem systema usus sit. Multa possunt coacervari ex Pindari carminibus exempla eiusdem repetitionis; nam in omnibus fere semel iterumve Iovis mentio facta est. Sed ob id ipsum, quia Iuppiter laudando tam saepe extollitur, Pindarus neglexisse videtur nomen eius, quod praesertim a prioribus poetis iam abunde esset ornatum, novis semper circumscribere artificiis. Accedit, quod repetitio Iovis nominis, cum monosyllabum sit aut bisyllabum, multo minus molesta est quam longiorum vocabulorum, et quod tales duarum brevium syllabarum coniunctiones, quales exstant in formis *Διός*, *Διί*, *Δία*, in plurima metra aptissime cadunt.[1] Verum ubi deum ipsum precibus aggreditur Pindarus ad animum eius movendum, aut ampliore utitur circumlocutione aut vocativo *Ζεῦ* vocem *πάτερ* addit. Ita Iovem affatur Ol. II 12 *ὦ Κρόνιε παῖ Ῥέας*; Ol. IV 1 *ἐλατὴρ ὑπέρτατε βροντᾶς ἀκαμαντόποδος Ζεῦ*, v. 6 *ὦ Κρόνου παῖ*; Ol. VII 87 *ὦ Ζεῦ πάτερ*; Ol. XIII 23—25 *ὕπατ' εὐρὺ ἀνάσσων Ὀλυμπίας, Ζεῦ πάτερ*, v. 110 *Ζεῦ*; Pyth. I 29 *Ζεῦ*, v. 67 *Ζεῦ τέλειε*, v. 71 *Κρονίων*; Nem. IX 28 *Κρονίων*, v. 31 *Ζεῦ πάτερ*, v. 53 *Ζεῦ πάτερ*; Nem. X 29 *Ζεῦ πάτερ*, v. 76 *πάτερ Κρονίων*. In uno carmine Nemeaeo tertio Iovem in v. 65 simplici appellatione *Ζεῦ* invocat, cum in Olympicorum carmine tertio decimo et

[1] Iam vetustum illud carmen Selinunte in Apollinis templo incisum (cf. Otto Benndorf, 'Die Metopen von Selinunt', pag. 27 et 34), cum ceterorum deorum complurium nomina epithetis circumscripta habeat, Iovem bis eadem appellatione *Δία* notat.

in Pythico primo, ubi idem invenimus, antea vel postea uberioribus verbis eum compellet. Sed etiam praeter haec exempla Pindarus nonnullis locis Iovis nomen quodammodo variavit. Legitur enim Ol. VI 5 *Διός*, v. 68 *πατρί* (scil. *Ἡρακλέος*), v. 70 *Ζηνός*, v. 81 *σὺν βαρυγδούπῳ πατρί* et Isthm. VII 18 *Ζηνὶ βασιλέϊ*, v. 23 *βαρυσφαράγῳ πατρί*, v. 27 *Ζεύς*, v. 35 *Ζηνί* et *Διός*.

Iam locum codicum auctoritate minus firmatum examinabimus. Etenim CRONOS postquam carminis Olympici alterius in v. 70 suo nomine commemoratus est, in v. 76 dicitur *πατὴρ Διός*. Ubi cum codices certam probabilemve lectionem non praebeant, haec Mommseni coniectura aptissima videtur. Eo enim, quod Boeckhius scripsit *πατὴρ Κρόνος*, molesta efficitur repetitio eiusdem nominis, quod in v. 70 praecedit, et quamquam, si Mommseni coniecturam recipimus, nomen *Διός* in isdem illis versibus repetitur, tamen cum hoc saepius Pindaro placuisse supra docuerimus, haec lectio nullam habet difficultatem. Certo autem in proximo versu poeta Croni nomen per ambages reddidit, cum ille *πόσις ὁ Ῥέας* nominatus sit.

Porro in carmine Olympico septimo, per quod in Rhodo victoris patria celebranda SOLIS quoque cum hac insula arte coniuncti laus praedicatur, in v. 14 quidem Pindarus hunc deum nomine propio *Ἀελίοιο* appellavit, sed in v. 39 eiusdem nomen ita variare maluit, ut cognomine a patre Hyperione Titane petito, quod Homerus praeoccupavit in Odyssea XII 176 (cf. I 8), *φανσίμβροτος δαίμων Ὑπεριονίδας* diceretur. Deinde postquam in v. 58 suo iure ad appellationem *Ἀελίου* recurrit poeta, in v. 60 Solem nuncupavit *ἁγνὸν θεόν*. Nec minus in v. 70—71 *ὀξειᾶν ὁ γενέθλιος ἀκτίνων πατήρ, πῦρ πνεόντων ἀρχὸς ἵππων* Sol intellegendus est. Qua locutione quam eleganter significatur radiorum et lucis ab aureo Solis curru origo!

Quid? in carmine Nemeaco decimo, ubi DIOSCURORUM post praeclaram cum Apharei filiis pugnam apotheosis celebratur, nonne nobilissimorum illorum fratrum nomina sollertissime variata sunt? Nam initio facto in v. 38 ab appellatione *Τυνδαρίδαι*, qua poeta Dioscurorum a Tyndareo ortum, propter

quem alter eorum immortalitatis expers factus erat. significat, in v. 49—50 fratres suis nominibus *Κάστωρ* et *Πολυδεύκης* vocantur. Sed statim in v. 54 Pindarus nomina eorum denuo per circuitum ita reddidit, ut illos *θεῶν γένος* diceret. Verus enim Dioscurorum pater erat Iuppiter ipse. Adde, quod postquam poeta in v. 59, cum a novo systemate inceperit, singulorum fratrum nomina repetivit, in v. 66 appellatione a matre arcessita Pollux dictus est *Λήδας παῖς*. Cuius ad nomen proprium quamquam Pindarus in v. 68 revertitur, ut repetitio intra unum idemque systema fiat, tamen cum circumlocutio illa „*Λήδας παῖς*“ interposita sit, hoc suam habet excusationem. Evidentius vero, quantum fuerit poetae studium novorum epithetorum, ex v. 73 elucet. Etenim cum Pollucem ad Castorem, qui grave vulnus ab Apharetidis acceperat, supplicio de percussoribus sumpto rediisse narrare velit, hoc ita exprimit: *ταχέως δ'ἐπ' ἀδελφεοῦ βίαν πάλιν χώρησεν ὁ Τυνδαρίδας*. Quae tecta et tamquam occulta dictio tum demum in poesi lyrica usurpari potuit, postquam poetarum epicorum ope deorum et heroum fabulae diligentissime erant expressae atque excultae. Sane nemo quam sententiam Pindarus illis verbis pronuntiare vellet, intellexisset, nisi qui hanc Dioscurorum fabulam penitus cognitam haberet. Postremo in v. 85, ubi Iuppiter Pollucis de fratris casu aegritudinem elevaturus optionem ei dat, utrum Castore mortuo ipse continuo cum dis immortalibus Olympum habitare, an cum fratre coniunctus alternis in Olympo et sub terra vivere mallet, poeta Castorem appellatione *κασιγνήτου* notavit et in ultimo carminis versu Castorem, cum Pollux, ut omnia sibi cum fratre essent consociata, optasset, a morte ad vitam revocatum esse enarrans eundem nomine proprio vocavit. Praeterea in carmine Olympico tertio Pindarus postquam in v. 1 initium cepit ab appellatione *Τυνδαρίδαι*, in v. 35 Dioscurorum nomina eo artificio reddidit, ut eos *βαθυζώνου διδύμους παῖδας Λήδας* diceret, sed in v. 39 ad nomen *Τυνδαρίδαι* regressus est.

De deorum quidem apud Pindarum memoria abunde dictum est; videamus igitur, quam variis appellationibus poeta DEAS ornaverit. Quarum quamquam minus saepe quam deorum mentio fit, ut par est in praedicandis victoriis robore

et virtute partis, tamen hic quoque studium illud nomina variandi mirum in modum apparet. Nam MINERVA, cuius potissimum laus ut fortissimae inter deas et certaminum cupidissimae in epiniciis extollitur, postquam carminis Olympici septimi in v. 36 *Ἀθηναία* dicta est, in v. 42 appellatur *θεά*. Eiusdem nomen in proximo versu docte ita circumscriptum est, ut diceretur *κόρα ἐγχειβρόμος*. Omnibus enim armis ornata cum Minerva ex Iovis capite securi a Vulcano diffisso prosiluisse putaretur, hac locutione deae ortus, qui hoc ipso in carmine narratur, aptissime significatur. Atque etiam in v. 51 pro Minervae nomine circumlocutio substituta est, cum illa *Γλαυκῶπις* sit appellata. Iam vero in carmine Olympico tertio et decimo, initio facto in v. 63—64 a nomine *κούρα Παλλάς*, Minerva in v. 68 dicitur *παρθένος*. Nec minus in v. 72 *θεά*, cuius in ara incubare, ut habenam ad Pegasum domandum acciperet. Bellerophon a vate Polyido iussus erat, Minerva intellegenda est. Quam sollerter autem in v. 74, ubi Bellerophontem habena illa accepta, quomodo *Ζηνὸς ἐγχεικεραύνου παῖς* aurum equorum ferociam domans ipsi dedisset, vati narrantem fecit, Pindarus Minervae nomen variavit? Deinde in v. 79 Polyidus, ut *Ἱππίᾳ Ἀθάνᾳ* novam condat aram, Bellerophontem adhortatur. Itaque cum a v. 64 usque ad v. 79 Minerva quinque inter se diversis appellationibus notata sit, ut huius quidem deae nomen summo artificio variaret Pindaro placuisse consentaneum est. Huc accedit, quod in carmine Pythico duodecimo Minerva, postquam in v. 7—8 *Παλλὰς Ἀθάνα* nominata est, in v. 19 vocatur *παρθένος* et in v. 22 *θεός*.

Iam ut ad locos, ubi IVNONIS mentio facta est, considerandos transeamus, legitur carminis Pythici alterius in v. 27 *Ἥρας*; eandem deam in v. 34 ornatius *Διὸς ἄκοιτιν* nominavit Pindarus nec minore artificio in v. 39, ubi illa *θυγάτηρ Κρόνου* dicta est, eiusdem nomen expressit. Praeterea in carmine Nemeaeo primo postquam in v. 38 poeta a nomine *Ἥρα* exorsus est, proximo in versu Iuno *θεῶν βασιλέα* vocata est. Minus diligenter Pindarus in carmine Nemeaeo decimo repetitionem eiusdem nominis videtur effugisse. Etenim quamquam in v. 18 Iunonis, quae in v. 2 *Ἥρα* dicta est, nomen

per ambages ita reddidit, ut *τελεία μάτηρ* diceretur — Hebes enim, cuius cum Hercule initum matrimonium hoc loco memoratur, mater Iuno erat — tamen et in v. 23 et in v. 36 ad nomen *Ἥρα* rediit. Itaque cum haec repetitio intra eiusdem systematis ambitum fiat, hoc quidem loco Pindarus contra legem illam alibi observatam fecit, sed cum duae strophae inter utrumque versum intersint, repetitio minus molesta est.

Porro DIANA, postquam carminis Olympici tertii in v. 26 *Λατοῦς ἱπποσόα θυγάτηρ* dicta est, in v. 30 cognomine *Ὀρθωσία* insignitur. Cuius cognominis originem scholiastes vel ab Arcadiae monte *Ὀρθώσιον* sive *Ὄρθιον* vel a verbo *ὀρθοῦν*, cum Diana feminis partum edentibus adesse putaretur, repetivit. Constat autem Dianae illo nomine Spartae cultae olim humanas oblatas esse victimas. Qui usus non solum in fabula de immolanda Iphigenia conspicitur, sed etiam puerorum illa in ara Dianae verberatio inde originem duxit. Item in carmine Pythico altero Pindarus progressus in v. 7 ab appellatione *Ἄρτεμις*, in v. 9 Dianae nomen exquisitiore artificio reddidit. *Ἰοχέαιρα παρθένος* enim Diana est, quae venandi studio inter deas erat insignis. Proximi carminis in v. 10 postquam eadem denuo primum *Ἄρτεμις* vocata est, poeta in v. 32, cum paullo antea Apollinis mentionem fecerit, nomen ita variavit, ut eam *κασιγνήταν* diceret.

Atque etiam LATONAM Dianae matrem variis appellationibus a Pindaro ornatam esse docemur eo fragmento, quod est primum inter *προσόδια* (fr. 58 apud Boeckhium). Cuius fragmenti priore in parte poeta nomine *Λατοῦς* utitur, in posteriore „*ἁ Κοιογενής*“ pro eo substitutum est. Coei enim Titanis filia Latona erat. Duas autem illas fragmenti partes in unum systema coniunctas fuisse, nisi quod strophae finis et antistrophae initium interierit, ex totius loci sententia intellegitur.

Nec secus Nemeaeo in carmine octavo poeta VENERIS, quae in v. 1 appellatione *Ἀφροδίτας* introducta est, nomen per ambages reddidit; siquidem *Κυπρία* in v. 7 Venus intellegenda est, quippe quod nomen dea ad insulam Cyprum ex maris spuma enata nacta esset, itemque in carminis Olympici decimi v. 105 *Κυπρογενής* et in carminis Pythici quarti v. 216 *Κυπρογένεια* nuncupata est. Praeterea in fragmento, quod est

primum inter *σκόλια* (fr. 87 apud Boeckhium) postquam in v. 3 Pindarus eam *ματέρ' ἐρώτων οὐρανίαν . . . Ἀφροδίταν* dixit, sub finem fragmenti, cuius ambitus, cum versus aliquot interciderint, non satis perspicuus est, Venus a choro verbis „*ὦ Κύπρου δέσποινα*“ invocatur.

THETIDEM quidem poeta Pythici carminis tertii et in v. 92 et in v. 101 eodem nomine proprio appellavit, verum inter duos illos versus novi systematis initium sumpsit. Contra in carmine Nemeaeo tertio postquam dea in v. 35 *ποντία Θέτις* dicta est, Pindarus in v. 57 nomen eius ita variavit, ut illam *Νηρέος θύγατρα* vocaret. Similiter legitur Nem. IV 50 *Θέτις*, v. 65 *ἑψιθρόνων μίαν Νηρείδων* et Nem. V 25 *σεμνὰν Θέτιν*, v. 36 *ποντίαν χρυσαλακάτων τινὰ Νηρεΐδων*. Iam vero in carmine Isthmico septimo initio facto in v. 27 a nomine *Θέτιος* poeta in v. 34 eam *ποντίαν θεόν* dixit; nec minus in v. 43 deae nomen per ambages reddidit, ubi *Νηρέος θυγάτηρ* legitur. In v. 47 demum Pindarus ad appellationem *Θέτιος* recurrit.

Attamen dubitatio haud levis nobis eo moveri potest, quod poeta et in CHARITIBUS et in MUSIS nominandis multo neglegentius fecit. Illas enim carminis Olympici quarti decimi et in v. 4 et in v. 8 eodem nomine proprio appellatas deprehendimus, cum in v. 14—15 *θεῶν κρατίστου παῖδες* i. e. Iovis filiae dictae sint. In carmine autem Pythico primo Musarum nomen in v. 14 quidem appellatione *Πιερίδων* variatum est, sed in v. 2 et v. 12 nudum exstat. Nec minus in carmine Isthmico altero Pindarus postquam in v. 2 de Musarum curru dixit, in v. 6 ad nomen *Μοῖσα* rediit.

Diligentius GORGONUM nomen in carmine Pythico duodecimo variare voluit, quo quemadmodum Minerva Gorgonum de Medusae sororis morte lamenta atque planctus imitata tibiarum artem inveniret, relatum est. Atque in v. 7 quidem illae sorores audiunt *Γοργόνες*, sed in v. 9 nomen earum per ambages expressit Pindarus. Namque *παρθενίοις κεφαλαῖς* dictum videtur pro *κεφαλαῖς παρθένων* i. e. Gorgonum. Iam vero postquam in v. 11 poeta appellatione *κασιγνητᾶν* usus est, in v. 13 eaedem nominantur *Φόρκοιο γένος*, quoniam a Phorco patre natae sunt. Atque adeo in v. 20 novum

Gorgonum signum delitescere videtur. Etenim cum Minerva non unius Euryalae planctus, sed, ut in v. 7 poeta ipse significavit, geminatas utriusque sororis superstitis lamentationes imitata esset, hic omissa Sthenone pro Gorgonibus universis Euryale memorata est. Eiusdem carminis in v. 11 nomen sororis a Perseo trucidatae, quae in v. 16 *εὐπάραος Μέδοισα* est, Pindarus doctissime ita variavit, ut eam *τρίτον κασιγνητᾶν μέρος* diceret.

§ 5.

Quoniam de deis deabusque, quarum apud Pindarum identidem mentio facta est, satis multis disputasse nobis videmur, nunc primum h e r o u m, deinde h e r o i n a r u m appellationes considerabimus. Cumque HERCULES ceteris omnibus virtute et gloria praestitisse videatur, ab hoc initium faciam. Qui postquam carminis Olympici decimi in v. 30 nomine *Ἡρακλέης* introductus est, in v. 44—45 dicitur *Διὸς ἄλκιμος υἱός*, quae Herculis appellatio iam in Hes. sc. Herc. v. 320 exstat. Similiter in oda Nemeaea prima Hercules, cuius nomen proprium in v. 33 legitur, in v. 35 audit *παῖς Διός*, cum in v. 58 appellatione *υἱοῦ* scil. Amphitryonis insignitus sit. Iam carminis Nemeaei tertii in v. 21 initio denuo facto a nomine *Ἡρακλέος* in v. 22 ille locutione *ἥρως θεός* decoratus est. Quid? in v. 37, ubi Telamonis laudes propter res in bellis Laomedonti et Amazonibus illatis gloriose gestas celebrantur, nonne novum Herculis signum deprehendimus? Etenim hunc illius adversus Ilium expeditionis ducem fuisse inter omnes constat, et quamquam multi et docti homines de hoc loco disputaverunt, tamen nondum satis expositum est, quamobrem Pindarus hoc loco non Herculem, sed Iolaum nominaverit. Quod nescio an sic expediri possit, ut *Ἰόλαος* cognomen Herculis fuerit; nisi potius Pindarus repetitionem Herculis nominis aspernatus, cum alia circumlocutio generalis Aeaci et Pelei interea mentione facta perspicua non fuisset, pro Hercule substituisse videbitur Iolaum, quippe qui perpetuus illi comes esset et in eadem cum Hercule ara coleretur. Porro in carminis Isthmici quinti v. 30 Herculis nomen ita

circumscriptum est, ut *Ἀλκμήνας τέκος* vocaretur. Eundem Pindarus, postquam in v. 35 nomine proprio usus est, in v. 38 verbis *καρτεραίχμας Ἀμφιτρυωνιάδας* significavit.

Ut Hercules inter vetustos heroas ita ACHILLES inter viros contra Troiam profectos eminuit. Qui in carminis Olympici noni v. 71 nomine proprio appellatus in v. 76 dicitur *Θέτιος γόνος*. Nec minus in carmine Nemeaeo tertio Pindarus postquam in v. 43 denuo ab appellatione (*ξανθὸς*) *Ἀχιλεύς* exorsus est, in v. 57 nomen Achillis per ambages ita reddidit, ut eum *γόνον φέρτατον* scil. Thetidis appellaret. Contra carminis Isthmici septimi et in v. 48 et in v. 55 Achillis nudum nomen proprium habes. Verum cum haec oda non systematis, sed singulis strophis contineatur, nescio an hic poeta nonnisi in una eademque stropha repetitionem eiusdem nominis vitaverit.

Maiore diligentia Pindarus Achillis educatoris praeceptorisque Centauri CHIRONIS nomen variavit. Etenim in carminis Pythici tertii initio quasi summam appellationum copiam iactans illum *Χείρωνα Φιλυρίδαν, Οὐρανίδα γόνον εὐρυμέδοντα Κρόνου, Φῆρ' ἀγρότερον* nominavit. Nempe Philyra, Oceani filia, Chironem ex Crono patre pepererat. Deinde in v. 45 poeta, quomodo Apollo filium Aesculapium *Μάγνητι Κενταύρῳ* tradiderit educandum, narrat et in v. 63 votum facit, ut *σώφρων Χείρων* in vivis sit et Hieroni regi gravi morbo affecto medicum Aesculapii similem mittat. Isdem fere locutionibus in carmine Pythico quarto Chironis nomen circumscriptum est. Qui postquam in v. 102 suo nomine introductus est, in v. 103 appellatione *Κενταύρου* notatur. Deinde in v. 115 quidem poeta ad nomen proprium Chironis revertitur epitheto *Κρονίδας* addito, sed molestia huius repetitionis, quamquam intra idem systema fit, eo mitigatur, quod illa circumlocutio interposita est. Postremum in v. 119 Chiron exquisitiore artificio *Φὴρ θεῖος* vocatur. Accedit, quod in carmine Pythico nono Pindarus postquam in v. 29 a Chironis nomine proprio exorsus est, in v. 30 Apollinem cognomine *Φιλυρίδα* illum salutantem finxit et in v. 38 Chiron *Κένταυρος ζαμενής* dicitur. Praeterea carminis Nemeaei

tertii in v. 47—48 legimus *Κρονίδαν Κένταυρον* et in v. 53 *βαθυμῆτα Χείρων*.

Iam vero in carmine Isthmico quinto, quo omnes fere heroes Aeginenses eximia exornantur laude, TELAMON in v. 27, cum antea Aiacis filii mentio facta sit, appellatione *πατρός* introductus tum demum, postquam in v. 35 poeta eum *Αἰακίδαν* dixit, in v. 40 suo nomine vocatur. Deinde in v. 46 Pindarus illius nomen artificio quodam reddens Herculem a Telamone, quem ad expeditionis adversus Laomedontem societatem invitaret, hospitio acceptum et phiala oblata, ut libationem faceret, admonitum Iovem patrem in vota vocasse refert, ut *ἀνδρὶ τῷδε* filium donaret tam firmum corpore, quam leonina esset pellis. Attamen in v. 52 poeta, cum a novo systemate inceperit, ad nomen Telamonis recurrit.

Eiusdem scelus, quod una cum Peleo in Phocum fratrem germanum ediderat, cum in carmine Nemeaeo quinto expositum sit, duo illi fratres, quos in v. 8 poeta *Αἰακίδας* nuncupavit, in v. 12 *Ἐνδαΐδος ἀριγνῶτες υἱοί* dicti sunt. Ex Endeide enim filia Chironis Aeacus Peleum et Telamonem filios genuerat, cum Phocus ex matre Psamathe natus esset. In v. 15 autem Pindarus illorum nomina ita significare maluit, ut eos *ἄνδρας ἀλκίμους* vocaret.

Praeterea PERSEUS carminis Pythici decimi in v. 31 suo nomine appellatus in v. 45 dicitur *Δανάας παῖς*. Similiter in carmine Pythico duodecimo postquam poeta in v. 11 denuo ab illius nomine proprio initium cepit, in v. 17 vocatus est *υἱὸς Δανάας*, in v. 18 Pindarus nomen eius ea arte reddidit, ut eum *φίλον ἄνδρα* i. e. virum (a Minerva) dilectum nominaret.

IXION autem, cuius nudum nomen in carminis Pythici alterius v. 21 legimus, in v. 29 *ἀνήρ* est. Nec minus in v. 31 *ἥρως* Ixion intellegendus est, cum in v. 37 poeta ad appellationem (*ἄϊδρις*) *ἀνήρ* redierit. Quae repetitio cum in iis duarum stropharum locis, qui inter se respondent, facta sit, nescio an Pindarus id egerit, ut repetitione eiusdem vocabuli coniuncta cum eodem instrumentorum concentu et corporum in saltando motu animos audientium

delectaret. Quamquam praeter hoc duo tantum exempla talium in locis inter se respondentibus repetitionum ex carminibus Pindaricis colligi possunt. Namque Ol. I 69 et 80 verbum *γάμον* et Isthm. VII 40 et 50 vocabulum *πεδίον* in eadem sede repetitum est. Qua in exemplorum paucitate dubium est, num Pindarus illud artificium, quod apud poetas tragicos non erat inusitatum, consulto appetiverit.

Sed redeamus ad propositum. AGAMEMNON igitur carminis Pythici undecimi in v. 17, cum Orestis supra mentio facta sit, appellatione *πατρός* introductus, postquam in v. 20 nomen eius ita redditum est, ut umbra a Clytaemnestra uxore trucidati *Ἀγαμεμνονία ψυχά* diceretur, in v. 31 audit *ἥρως Ἀτρεΐδας*.

Nec dissimiliter BELLEROPHON in carminis Olympici tertii decimi v. 59 verbis *σφετέρου πατρός* notatus est, cum Glaucum sua a Bellerophonte origine coram Danais gloriatum esse hoc loco poeta rettulerit. Deinde postquam in v. 65 Minerva auream illam habenam ad Pegasum domandum portans eum allocuta est „*Αἰολίδα βασιλεῦ*", in v. 81 demum proprium legimus Bellerophontis nomen.

Iam vero in carmine Olympico sexto cum victoris ex Iamidarum gente celebrandi causa IAMI ab Apolline et Euadne ortus diligentius enarratus sit, poeta auctorem clarissimi illius generis in v. 36 *θεοῖο γόνον* et in v. 41 *θεόφρονα κοῦρον* dixit. Idem postquam in v. 43 nudo nomine appellatus est, in v. 57 novum eius signum deprehendimus. Nam *τοῦτ' ὄνυμ' ἀθάνατον,* quod nomen Euadne filio suo dederat propter violas, quibus tectus iacuerat, est nomen *Ἴαμος.* Postremum in v. 62 Iamus imperium aliquod precatus ab Apolline patre appellatione *τέκος* ipsum Olympiam sequi iussus est, ubi vaticinandi munus apud Iovis aram maximam acciperet.

Minore cura, nec tamen paucioribus locutionibus poeta IASONIS nomen in carmine Pythico quarto variavit, ubi legitur in v. 119 *Ἰάσονα,* v. 123 *γόνον κάλλιστον ἀνδρῶν,* v. 127 *ἀνεψιόν* (scil. *Ἀδμήτου*), v. 128 *Ἰάσων,* v. 132 *ἀνήρ,* v. 136 *Ἰάσων,* v. 169 *Ἰάσων,* v. 189 *Ἰάσων,* v. 194 *ἀρχός,* v. 217 *σοφὸν Αἰσονίδαν,* v. 229 *βασιλεύς, ὅστις ἄρχει ναός,* v. 232 *Ἰάσων,* v. 236 *βιατὰς ἀνήρ,* v. 239 *καρτερὸν ἄνδρα.* Ubi quam-

quam in sexto systemate Iasonis nomine proprio ter usus est, tamen cum semper circumlocutio aliqua interposita sit, Pindarus quodammodo repetitionem eiusdem nominis dedita opera videtur declinasse.

Ceteros heroas cum minus amplis appellationibus poeta exornaverit, satis erit, si ipsa verba, ex quibus illud nomina variandi studium appareat, proferemus. Ita nominatur:

Oenomaus Ol. I 70 *Πισάτα πατρός* (scil. *Ἱπποδαμείας*), v. 76 *Οἰνομάου*, v. 88 *Οἰνομάου*.

Pelops Ol. I 24 *Λυδοῦ Πέλοπος*, v. 36 *υἱὲ Ταντάλου*, v. 65 *υἱόν*, v. 95 *Πέλοπος*;

Aepytus, Phaesanae Arcadiae rex, Ol. VI 33 *ἥρωι Εἰλατίδᾳ*, v. 36 *Αἴπυτον*, v. 47 *βασιλεύς*;

Adrastus Ol. VI 13 *Ἄδραστος*, v. 15 *Ταλαϊονίδας*;

idem Nem. IX 9 *Ἄδραστος*, v. 10 *ἥρωα*, (v. 14 *Ταλαοῦ παῖδες*);

Tlepolemus Ol. VII 20 *Τλαπολέμου*, v. 30 *τᾶσδε χθονὸς* (*Ῥόδου*) *οἰκιστῆρ*, v. 77—78 *Τλαπολέμῳ, Τιρυνθίων ἀρχαγέτᾳ*;

Aeacus Ol. VIII 30 *Αἰακοῦ*, v. 42 *ἥρως*, v. 50 *Αἰακόν*;

idem Nem. VIII 7 *Οἰνώνας βασιλεύς*, v. 13 *Αἰακοῦ*;

Patroclus Ol. IX 70 *τοῦ* (*Μενοιτίου*) *παῖς*, v. 75 *Πατρόκλου*;

Augeas Ol. X 28 *Αὐγέαν*, v. 35 *Ἐπειῶν βασιλεύς*;

Philocteta Pyth. I 50 *Φιλοκτήταο*, v. 53 *Ποίαντος υἱὸν τοξόταν*;

Amphiaraus Pyth. VIII 39 *Οἰκλέος παῖς*, v. 56 *Ἀμφιάρηος*;

idem Nem. IX 13 *Ἀμφιάρηον θρασυμήδεα*, v. 17 *Οἰκλείδᾳ*, v. 24 *Ἀμφιάρῃ*;

Idas et Lynceus, Apharei filii, Nem. X v. 60—61 *Ἴδας, Λυγκεύς*, v. 65 *Ἀφαρητίδαι*, v. 70—71 *Λυγκέος, Ἴδᾳ*;

Iolaus Isthm. I 14 *Ἰολάοι'(ο)*, v. 26 *Ἰφικλέος παῖς*.

Praetera Epigonorum appellationes in carmine Pythico octavo hae inveniuntur: v. 40 *υἱούς* (nempe septem illorum heroum), v. 42 *Ἐπίγονοι*, v. 52 *Δαναῶν στρατοῦ*, et Hyperborei in carmine Pythico decimo hunc in modum commemorati sunt: v. 30 *Ὑπερβορέων*, v. 42 *ἱερᾷ γενεᾷ*, v. 46 *ἀνδρῶν μακάρων ὅμιλον*. Ex his quoque exemplis cognosci potest Pindarum, ubi viri alicuius saepius mentio facienda esset, variis et inter se diversis nominibus usum esse, et tum demum ad priorem

appellationem recurrisse, si novi systematis initium sumpsisset. Rarissime autem intra unum systema idem nomen repetivit, idque plerumque ita, ut circumlocutionem aliquam interponeret.

Eandem rationem num etiam in heroinis appellandis secutus sit vates Thebanus, nunc quaeramus. Atque Hippodamia Oenomai filia carminis Olympici primi in v. 70 nomine proprio introducta, in v. 81 appellatione *θυγατρός* notatur. Verum etiam *παρθένος*, qua Pelops Oenomao superato potitur, in v. 88 Hippodamia intellegenda est. Iam in carmine Pythico undecimo Clytaemnestra, postquam in v. 17 poeta a proprio eius nomine exorsus est, in v. 22, cum Agamemnonis trucidatio memorata sit, audit *νηλὴς γυνά*. Nec minus in v. 37, ubi poenae, quam Orestes filius ab illa repetit, mentio fit, Pindarus Clytaemnestram per ambages quasdam *ματέρα* appellavit. Praeterea Coronis, cuius ab Apolline amatae perfidiam iam supra tetigimus, carminis Pythici tertii in v. 8, cum Phlegyas regulus pater eius esset, *Φλεγύα θυγάτηρ* dicta in v. 25 nomine proprio nuncupatur. Eiusdem nomen in v. 34 ita circumscriptum est, ut *παρθένος* diceretur, cum in v. 39 poeta eam *κούραν* nominaverit. Antaei autem filia Irasorum regis, quam a multis procis expetitam pater, ut maritum validum ei prospiceret, Danai exemplum imitatus ei promisit, qui cursus certamine vicisset, postquam in carminis Pythici noni v. 105 appellatione *Λιβύσσας γυναικός* significata est, in v. 106 Pindarus eam *καλλίκομον ἀγακλέα κούραν* vocavit. Quo facto in v. 111 *θυγατρί*, in v. 117 *κόρᾳ*, in v. 122 *παρθένον κεδνάν* pro nomine illius substituit. Adde, quod Euadne Pitanae Laconicae filia a Neptuno nata carminis Olympici sexti in v. 30 nomine proprio in v. 33 *βρέφος*, nempe Pitanae, dicitur. Deinde in v. 49 quidem poeta ad nomen Euadnes rediit, sed in v. 56 eadem audit *μάτηρ*. Necnon Cassandram carminis Pythici undecimi in v. 19—20 Pindarus *Δαρδανίδα κόραν Πριάμου Κασσάνδραν* nominavit, in v. 33 nomine variato *μάντιν κόραν*. Denique Alcmena carminis Nemeaei primi in v. 35, ubi Herculis ortus narratur, *μάτηρ* et in v. 49 demum nomine proprio appellata est.

Haec fere sunt nomina propria, quae Pindarus artificiose ita variavit, ut praeter pauca, quae supra protulimus, exempla nusquam urbem vel hominem, deum vel heroa intra idem systema bis eodem nomine appellaret.

§ 6.

Restat, ut perscrutemur, num etiam in nominibus appellativis et iis vocabulis, quibus res vel qualitates significantur, eandem dicendi ubertatem et varietatem appetiverit. In quibus quamvis Pindari studium vocabula variandi luculenter appareat, tamen non aeque curiose atque in nominibus propriis, ne intra unum systema ad eandem appellationem recurreret, cavisse videtur, id quod facilius intellegetur, si genus universum nominum appellativorum in species certas dividerimus. Etenim ea vocabula, quae generales hominum rationes et necessitudines significant, velut *ἀνήρ, ἄνθρωπος, παῖς, υἱός, πατήρ, μάτηρ* etc., cum sexcenties non solum in eodem systemate, sed etiam in eadem stropha repetita sint, prorsus a commentatione nostra secludenda sunt. Quibus verbis cum non multo maior in enuntiato vis quam pronominibus infuisse videatur, non habuit Pindarus, cur ea variaret. Contra ea vocabula, quae quia res cum ipsa arte poetica vel cum victoria celebranda coniunctas significabant, graviora videbantur, velut *ὕμνος* vel *στέφανος,* poeta vix minus diligenter quam nomina propria variare conatus est. Itaque de his, quae ad apparatum poeticum pertinent, vocibus in ultima huius commentationis parte accuratius disseremus; contra ea vocabula, quae poeta modo repetivit modo variavit, breviculo conspectu comprehendemus.

Ac primum quidem quam ampla appellationum copia Pindarus ipsum 'carmen' suum ornaverit, videamus. Tantum enim aberat, ut modestia simulata, sicuti malum poetam decet, non multum aut nihil carmine suo ad victorem celebrandum conferri profiteretur, ut artem suam quam plurimum commendaret atque laudaret. Itaque cum ipse facinus egregium, quod poetica laude careret, pro infecto haberet, saepissime de carminum suorum dignitate et pretio praedicavit.

Sic in carminis Isthmici quarti v. 10—11 Pindarus duabus tantum rebus praeter divitias summam nobis vitae felicitatem afferri canit, siquis rebus praeclare gestis *λόγον ἐσλὸν ἀκούῃ*. Ubi cum *λόγον ἐσλὸν ἀκούειν* substitutum videatur pro *λόγῳ ἐσλὸς* sive *εὖ ἀκούειν*, *λόγος* est ipsum carmen poetae, quo celebrati victoris gloria ad memoriam posteritatemque proditur. Deinde ad Aeacidarum laudem transiens numquam se sine his viris hymnos attingere (*ὕμνων γενέσθαι*) in v. 18 praedicat. In v. 22 autem carmen nova insigniturus appellatione adhortatur, ut Aeginae quoque praedicatio conveniens *ἀοιδᾷ* misceatur. Iam postquam in v. 24, ubi etiam fortes inter heroas bellatores poeticam laudem consecutos esse dicit, verbum *λόγον* repetivit, in v. 48 carmen suum denuo laude ornaturus ipsas victorias mellitum *καλλίνικον χάρμα* cupere gloriatur. Scilicet *καλλίνικον χάρμα* est hymnus iucundus atque victoriam decorans. Postremo in v. 57 poeta ad appellationem *ὕμνος* revertitur. Itaque carmen, quo victoria celebratur, quattuor diversis vocabulis insignivit: v. 11 *λόγον*, v. 18 *ὕμνον*, v. 22 *ἀοιδάν*, v. 48 *καλλίνικον χάρμα*. Praeterea in carminis Olympici primi v. 102 coronandum sibi esse Hieronem equestri modo *Αἰοληΐδι μολπᾷ* canit; numquam enim fore addit in v. 105, ut hospitem honestarum rerum peritiorem et potentia praestantiorem *κλυταῖσι ὕμνων πτυχαῖς* (inclitis hymnorum flexibus) exornet. Iam in v. 110 *ὁδὸς λόγων*, quam nova et curuli victoria ab Hierone parta se reperturum esse sperat, materia novi carminis intellegenda est, quam haec ipsa victoria ei praebitura erat. Atque in v. 112 poeta carmen suum cum telo comparat, cum Musam sibi *καρτερώτατον βέλος* alere praedicet. Hic igitur carmen in v. 102 *μολπά*, v. 105 *ὕμνος*, v. 110 *λόγοι*, v. 112 *βέλος* nominatum est.

Illa autem carminis cum telo comparatio, quae a facilitate celeritateque, quacum poeta ut sagittam ab arcu, ita poema ex mente sua ad certam quandam metam emittere potest, repetita videtur, in carmine Olympico nono diligentius illustrata est. Etenim cum *τὸ Ἀρχιλόχου μέλος* (v. 1) nonnisi tum, cum victor Olympiae comissationem celebravit, suffecerit, nunc vero ampliore laude victori opus sit, in v. 5 et seqq.

Pindarus se ipsum admonet, ut longe iaculante Musarum ab arcu et Iovem rutila fulgurantem et venerandum Elidis verticem *τοιοῖσδε βέλεσσιν* impertiat. Sed cum victor celebrandus iam antea in Delphicis certaminibus coronam adeptus esset, poeta carmen suum in hanc quoque victoriam dirigere voluit, id quod in v. 11 ita exprimit: in urbem Pythonem quoque *πτερόεντα γλυκὺν ὀϊστόν* se missurum esse. Verum etiam patria urbs victoris laude erat ornanda eamque ob rem in v. 21 et seqq. ille praedicat fore ut caram urbem *μαλεραῖς ἀοιδαῖς* illustrans velocissimo poematis nuntio eius gloriam late spargat. Nec minus sollerter Pindarus in carmine Pythico altero vocabulum *μέλος* variavit. Nam postquam in v. 4 Syracusis, Hieronis regis urbi, se *τόδε μέλος* Thebis ex urbe apportare pronuntiavit, in v. 13–14 aliis regibus ab aliis poetis propter virtutes *εὐαχέα ὕμνον* confici ait. Nec minus in v. 16 *φᾶμαι Κυπρίων*, quae de Cinyra Veneris sacerdote saepe resonabant, carmina intellegenda sunt, quibus Cyprii illius regis laudes celebrabant. Deinde cum in v. 68 ad appellationem *μέλος* redierit, proximo in versu poeta Hieronem admonet, ut *Καστόρειον* mente spectet benevola, ubi *Καστόρειον* certe carmen est, sive hoc ipsum, in quo versamur, sive alterum una cum hoc Hieroni missum. *Καστόρειος* enim vocabatur certus nomus equester, quem nomen traxisse a Castore celeberrimo equite ipse Pindarus testatur Isthm. I 14, ubi victorem curulem *ἢ Καστορείῳ ἢ Ἰολάοι' ἐναρμόξαι μέλει* elaturus causam adicit hanc: *κεῖνοι γὰρ ἡρώων διφρηλάται Λακεδαίμονι καὶ Θήβαις ἐτέκνωθεν κράτιστοι.* Itaque etiam ea, quam Hiero in Pythicis certaminibus curru adeptus erat, victoria aptissime *Καστορείῳ* celebrabatur.

Item Nemeaei carminis quarti in v. 2—3 carmina, quae homines labore fatigatos suavissime deleniunt, *αἱ σοφαὶ Μοισᾶν θύγατρες ἀοιδαί* nominantur. Nec minus in v. 6 *ῥῆμα*, quod Gratiarum ope excogitatum factis sit superstes, carmen est, quo uno res egregie gestae ad posteros possunt propagari. Sed postquam in v. 11 haec de carminum epiniciorum iucunditate et praestantia dicta pro exordio *ὕμνου* a se oblata esse poeta fassus est, in v. 15 optat, ut victoris pater adhuc in vivis sit et *τῷδε μέλει κλιθεὶς* i. e. hoc Pindari carmen cantans

ipse filii laudem celebret. Namque pro *ὕμνον* in v. 16, quamquam omnes codices hanc praebent lectionem, cum Bergkio *υἱόν* emendandum esse censeo, cum repetitio verbi *ὕμνος* intra unam eandemque stropham ab appellationum varietate alibi, ubi de ipso carmine agitur, appetita abhorreat. Accedit, quod non assequor, quid illud sibi velit „huic carmini inclinatus carmen victoriale cantare"; nempe ipsum *μέλος* est *ὕμνος καλλίνικος*. *Καλλίνικος* autem dicitur non minus apte filius quam hymnus, cum Pyth. I 32 legatur *Ἱέρωνος καλλινίκου* et Pyth. XI 46 *ἐν ἅρμασι καλλίνικοι* i. e. praeclari inter currus victores. In fine huius odae easdem carminis appellationes, quas in initio, deprehendimus: conf. v. 78 *ἐπινικίοισιν ἀοιδαῖς*, v. 83 *ὕμνος*, v. 94 *ῥήματα*.

Multis quidem praeter haec exemplis demonstrari potest, quam diligenter poeta nomini carminis variando operam dederit, sed satis erit, si appellationes paullo minus usitatas proferemus. Ita Nem. VII 11—12 Pindarus „si quis", inquit, „successum habet in rebus gerendis, dulce is praebet argumentum *ῥοαῖσι Μοισᾶν*", ubi fluenta Musarum carmina intellegenda sunt. Isthm. VI 23 autem, ubi victor *ἰοπλόκοισι Μοίσαις* illustratus dicitur, Musae ipsae pro carmine ope earum confecto subsitutae sunt. Audacius etiam Nem. VIII 47 *λίθον Μοισαῖον* se victori substruere poeta praedicat comparato carmine cum columna, quales in victorum honorem erigebantur.

Iam ut ad tibiae, cuius ad sonum carmina cantabantur, appellationes considerandas transeamus, carminis Olympici decimi in v. 84 Pindarus materiam pro materiatis nominans illam dixit *κάλαμον*, eadem in v. 94 est *γλυκὺς αὐλός*. Nec secus in carmine Pythico duodecimo, quo ipsius tibiae inventio enarrata est, postquam in v. 19 incepit a vocabulo *αὐλῶν*, statim in v. 21 tibiam *ἔντεα* nominat, quibus Minerva Gorgonum planctus imitibatur. Deinde in v. 25, ubi auleticus nomus dicitur *λεπτοῦ διανισόμενος χαλκοῦ θαμὰ καὶ δονάκων*, aes et calami, ex quibus tibiae fabricabantur, pro his ipsis substituta sunt. Itaque etiam elegantissimum illud in v. 27 „*πιστοὶ χορευτᾶν μάρτυρες*", quamquam generaliter de calamis dictum est, tamen tibias significat, quippe quae comites choricis cantoribus adfuerint.

Ut hic tibia, qua victoria celebranda parta erat, ita in carmine Pythico quinto currus, quo Arcesilaus Cyrenes rex vicerat, variis illustratur luminibus. Nam in v. 32 Carrhotus auriga laudatur, quod *ἐντέων σθένος* minime fregit, ubi *ἐντέων* non de frenis, quorum integritas iam in v. 30 memorata est, sed de curru ipso dictum est. Atque alibi quoque currum *ἔντεα* a Pindaro appellatum esse testatur schol. Il. XXIV 277: *καὶ Πίνδαρος τὰ ἅρματα ἐντεά φησιν·* „*ἱππείοις ἔντεσι μεταΐσσων*“, quae verba ex deperdito aliquo carmine fluxisse verisimillimum est. Iam in v. 34 poeta currum post victoriam Apollini suspensum *τεκτόνων δαίδαλα* vocavit, quibus verbis pretium eius et praestantia illustrantur, cum praesertim Cyrenaicorum curruum permagna fuerit existimatio. In v. 48 autem denuo Carrhoti laus celebratur, quod quadraginta aurigis superatis *δίφρον* integrum servavit.

Similiter victoriam ipsam celebrandam carminis Olympici octavi in v. 57 poeta *ταύταν χάριν* dixit, in v. 66 Alcimedontem victorem praedicat, quod *νίκαν τριακοστάν* inter Melesiae aliptae discipulos consecutus hunc gloria affecerit. Cumque victor sertis cingeretur tamquam praemio victoriae, in v. 76 is, qui sextam iam reportavit gloriam, vocatur „cuius crinibus *ἕκτος στέφανος* circumiacet frondiferis de certaminibus“. Nec minoribus usus ambagibus in v. 82—83 victoriam Olympiae reportatam *λιπαρὸν κόσμον Ὀλυμπίᾳ* appellavit Pindarus.

Item coronarum, quae victoriae signa erant, variae appellationes Pindaro placuerunt. Etenim in carmine Olympico tertio postquam in v. 6 *στέφανοι* ipsi memorati sunt, in v. 13 Hellanodica, qui victorem coronabat, dicitur „comis *γλαυκόχροα κόσμον ἐλαίας* cingens“. In v. 18 autem poeta cum a novo systemate inceperit, ad appellationem *στέφανος* revertitur. Praeterea in carmine Nemeaeo quarto victor, qui in v. 17 „Cleonaeo ex certamine *ὅρμον στεφάνων* deducens“ dictus est, in v. 21 laudatur, quod Thebani quoque non inviti eum *ἄνθεσι* coronaverunt. Deinde in v. 77 quidem verbum *στέφανος* repetitur, sed in v. 88 ita circumscribitur, ut coronae Isthmicis in certaminibus acceptae *Κορίνθια σέλινα* vocentur, cum Nemeorum et Isthmiorum coronae ex apio,

Olympiorum ex oleastro, Pythiorum ex lauro nexae fuerint testante scholiasta (cf. Boeckhium p. 5). Similiter in carminis Nemeaei sexti v. 18 poeta coronam, quam Olympicus victor adeptus erat, *ἔρνεα ἀπ' Ἀλφεοῦ* nominavit, et postquam in v. 26 gentem illius victoriarum multitudine insignem *ταμίαν στεφάνων* dixit, in v. 42 vocabulum *στέφανος* artificiosissime ita variatum est, ut corona Nemeae in ludis parta *βοτάνα ὁ λέοντος* appellaretur, cum post leonem Nemeaeum ab Hercule stratum apium ibi crescens coronis victorum consecratum esse fabulis esset traditum. Oleastri autem nomen, quem quomodo Hercules ab Hyperboreis Olympiam ad Iovis lucum ornandum attulerit, in carmine Olympico tertio enarratur, poeta ne appellationem *ἐλαίας*, quae in v. 13 legitur, repeteret, in v. 18 artificio quodam *σκιαρὸν φύτευμα ξυνὸν ἀνθρώποις* vocavit. Omnibus enim Iovis Olympici lucum petentibus olivae umbram praebebant. Nec minus in v. 32 *δένδρεα*, quae Herculem ad Istriam profectum admiratum esse Pindarus narrat, olivae intellegendae sunt.

Quid? cum non solum unam victoriam, a qua occasionem carminis sumpserat, celebrare, sed etiam omnium antea ab eodem viro partarum victoriarum memoriam redintegrare soleret, quam egregie et sollerter Pindarus rem dictu simplicissimam „victoriam adipisci“ variavit? Veluti in carmine Olympico nono a versu 84 usque ad 99 Epharmosti Opuntii victoriae hoc pacto enumeratae sunt: in certaminibus Isthmicis *κράτησεν ἔργον*, Corinthi ei *δύο ἐγένοντο χάρμαι*, Argi *ἔσχεθε κῦδος ἀνδρῶν*, *παῖς* vero Athenis, Marathone *μένεν ἀγῶνα πρεσβυτέρων*, Parrhasiae in urbe Arcadica populo *θαυμαστὸς ἐὼν φάνη*, Pellanae *ψυχρᾶν εὐδιανὸν φάρμακον αὐρᾶν* (laenam) *φέρε* praemium victoriae, Thebae et Eleusis ei *σύνδικος ἀγλαΐαισιν*. Iam carminis proximi a v. 64 usque ad 72, qui primi victorias in variis ludorum ex praeda bellica ab Hercule institutorum generibus reportaverint, exponitur: *σταδίου ἀρίστευσεν εὐθὺν τόνον* Oeonus, *πάλᾳ κυδαίνων Τεγέαν* Echemus, *ἔφερε πυγμᾶς τέλος* Doryclus, *ἀν' ἵπποισι τέτρασι* Samus (scil. *ἔφερε τέλος*), *ἄκοντι ἔλασε σκοπόν* Phrastor, *μᾶκος ἔδικε πέτρῳ ὑπὲρ ἁπάντων* Niceus.

Quae dicendi varietas cum ubique fere, sed nusquam

nimia morositate et insolitorum verborum affectatione appetita apud Pindarum occurrat, adeo naturalis et quasi necessaria esse videtur, ut plerisque legentium admirationem vix moveat. Atque etiamsi in omni sermone composito, ne ad easdem semper locutiones recurrant, homines docti vitare soleant, nescio tamen an ex nullo alio poeta similia exempla aeque variarum appellationum afferri possint. Nonnullis vero locis Pindari studium cuiusvis generis nomina docte variandi luculentius apparet, quam ut casu tanta appellationum varietas effecta esse possit. Ita in carmine Olympico tertio decimo habena aurea, quam Minerva Bellerophonti ad Pegasum domandum dederat, quinquies diversis inter se locutionibus sollertissime significata est. Quam postquam in v. 63 *χρυσάμπυκα χαλινόν* appellavit, in v. 65 Pindarus Minervam Bellerophonti dormienti imperantem fecit, ut *φίλτρον ἵππειον* acceptum immolato tauro Neptuno offerret. Bellerophon autem ex somno expergefactus *παρκείμενον τέρας* (v. 70) deprehendit et, quemadmodum dea *δαμασίφρονα χρυσόν* (v. 75) attulisset, Polyido vati narravit. Quo auctore cum Minervae iussis obtemperasset, *φάρμακον πραῢ* (v. 82) Pegaso iniecit et facinora ab Iobate Lyciorum rege mandata perfecit.

Minus certum est, num Pindarus etiam cetera verba consulto variare studuerit, cum non raro eadem repetantur. Variata videntur vocabula haec:

dei Ol. I 35 *δαιμόνων*, v. 39 *θεοῖσι*, v. 52 *μακάρων*, v. 54 *Ὀλύμπου σκοποί*, v. 60 *ἀθανάτων*, 64 *θεόν*, 65 *ἀθάνατοι*, ubi nomen *ἀθάνατοι* intra unam eandemque stropham repetitum est;

felicitas Ol. II 18 *πότμῳ εὐδαίμονι*, 22 *ὄλβον*, 33 *ἀτειρεῖ ἀγαθῷ*, 36 *ὄλβῳ*, et

Pyth. III 84 *εὐδαιμονίας*, 86 *αἰὼν ἀσφαλής*, 89 *ὄλβον*, 98 *εὐφροσύνας*, 105 *ὄλβος*, et

Nem. VII 56 *εὐδαιμονίαν*, 58 *ὄλβου*;

miseria Ol. II 19 *πῆμα*, 23 *πένθος*, 34 *πόνων*, 37 *πῆμ'*, 52 *ἀφροσυνᾶν*, et

Isthm. VII 5 *πενθέων*, 7 *κάδεα*, 8 *πόνον*, 11 *μόχθον*, 13 *μέριμναν*;

lucus Ol. III 18 *ἄλσει*, 24 *κᾶπος*;

via Ol. VI 23 κελεύθῳ, 25 ὁδόν;

mare Ol. VII 56 πελάγει ποντίῳ, 62 πολιᾶς θαλάσσας, 69 ἁλὸς ὑγρᾶς;

murus Ol. VIII 33 τείχεος, 38 πύργον, 42 χερὸς ἐργασίαις;

terra Pyth. IV 21 γαῖαν, 34 ἀρούρας, 37 βώλακα;

virgo Pyth. IX 30 γυναικός, 31 νεᾶνις, 43 κούρας, 56 νύμφαν;

serpentes Nem. I 40 δράκοντας, 45 ὄφιας, 50 κνωδάλων;

bellum Isthm. VI 25 χάλκασπις Ἄρης, 27 ταύτᾳ νεφέλᾳ, 36 πολέμοιο νεῖκος, 39 χειμῶνος.

Contra notabiles eorundem substantivorum repetitiones has congessi ex Pindari carminibus:

Ol. II 30 χρόνον, 37 χρόνῳ;

Ol. II 64 ὕδωρ, 73 ὕδωρ;

Ol. III 23 δένδρε', 32 δένδρεα;

Ol. V 10 ἄλσος, 13 ἄλσος;

Ol. XIII 29 σταδίου, 36 σταδίου;

Ol. XIII 72 βωμῷ, 79 βωμόν;

Pyth. I 44 παλάμᾳ, 48 παλάμαις;

Pyth. I 84 ἀκοά, 90 ἀκοάν;

Pyth. II 27 εὐναί, 35 εὐναί;

Pyth. III 55 χερσίν, 57 χερσί;

Pyth. VI 47 νόῳ, 51 νόῳ;

Nem. X 77 θάνατον, 83 θάνατον;

Isthm. III 18 θεῶν, 19 θεῶν, 23 θεῷ, quod carmen fortasse in duo dividendum est post v. 18;

Isthm. V 25 ἥρωος, 28 ἥρωσι.

Priusquam finem faciamus huius commentationis, quaerendum nobis est, utrum nomina variandi studio unus Pindarus insignis fuerit, an alii quoque poetae Graeci eandem appellationum ubertatem et varietatem appetiverint. Quae quaestio, cum ex plerisque ceterorum lyricorum carminibus tenues reliquiae nobis servatae sint, difficillima est ad solvendum. Sed elegiaci quidem poetae et iambographi artificio illo con-

sulto usi esse non videntur, cum in fragmentis saepius idem nomen perpaucis tantum versibus interiacentibus repetitum sit. Ita legitur

apud Tyrtaeum fragmenti quarti (ed. Bergk) in v. 1 *Φοίβου*, v. 10 *Φοῖβος* et fragmenti quinti decimi paroemiacis compositi in v. 1 *Σπάρτας*, v. 6 *τᾷ Σπάρτᾳ*;

apud Mimnermum fragmenti duodecimi in v. 3 *Ἠώς*, v. 10 *Ἠώς*;

in Theognideis v. 511 *Κλεάριστε*, v. 514 *Κλεάρισθ'*; v. 702 *Σισύφου Αἰολίδεω*, v. 711 *Σίσυφος ἥρως*; v. 1275 *Ἔρως*, v. 1277 *Ἔρως*;

apud Critiam fragmenti primi in v. 1 *Σικελῆς*, v. 3 *Σικελός*;

apud Platonem fragmenti septimi in v. 3 *Δίων*, v. 6 *Δίων*.

In uno illo Mimnermi fragmento duodecimo Solis nomen ita variatum est, ut in v. 1 *Ἥλιος*, in v. 11 *Ὑπερίονος υἱός* diceretur.

Multo magis in dubium venit, utrum poetae chorici eandem in nominibus propriis variandis rationem et viam, atque Pindarus, tenuerint necne. Atque antiquioribus quidem poetis choricis, si ex perpaucis fragmentis concludere licet, illud Pindari artificium ignotum fuisse consentaneum est. Sane Alcman in fragmento illo carminis Parthenii ex Aegyptiaco sepulcro nuper in lucem protracto (23 apud Bergkium) virgines, ex quibus chorus constabat, semper eodem nomine proprio appellavit, cum nomen *Ἀγιδώ* v. 40, 42, 58, 80 et nomen *Ἀγησιχόρα* v. 53, 57, 77, 79, 90 inveniatur. Nec minus Stesichorus fragmenti vigesimi sexti in v. 1 et 3, ubi in Helenae fatis enarrandis patris quoque mentionem facit, eadem appellatione *Τυνδάρεος* usus est. Cuius generis repetitionum exempla cum apud Pindarum desint, constat illos poetas non eadem constantia, qua hunc, nomina propria variasse.

Itaque posteriore demum aetate, dum Simonides Pindarus Bacchylides florent, certa illa regula, secundum quam repetitio eiusdem appellationis non solum intra unam stropham, sed etiam in uno eodemque systemate vitanda erat, statuta videtur esse. Et quamquam ex Simonidis et Bacchylidis

fragmentis, si ab epigrammatis recesserimus, exempla nominum variatorum non magis quam repetitorum afferri possunt, tamen censeam hos quoque poetas illo artificio usos esse. Hoc enim verisimillimum est, choricos poetas studio nomina propria artificiose variandi primos se dedisse; nam in ceteris praeter choricum et epicum poesis generibus ante tragicae poesis primordia deorum virorumque fortium facta et fata copiose non explicantur. Atque illud artificium quoniam epicis poetis ignotum fuisse constat, tum demum nasci potuit, postquam poesis chorica ab epica, quae earundem locutionum repetitiones non modo non aspernabatur, sed etiam appetebat, prorsus erat seiuncta. Itaque cum Stesichori ars lyrica cum poesi epica tam arte cohaereret, ut ipse a Longino *ὁμηρικώτατος* dictus a nonnullis hominibus doctis poetis epicis adnumeraretur, ei demum, qui post Stesichorum exstiterunt, poetae chorici illam appellationum varietatem appetivisse videntur eo consilio, ut eam epicis repetitionibus opponerent. Cuius dicendi ubertatis et varietatis exempla nobis apud unum Pindarum servata sunt.

Ad scaenica poesis genera illud artificium in lyrica poesi inventum pertinuisse non videtur. In canticis quidem Aeschyli tragoediarum, quae multa habent communia cum carminibus Pindari, nonnulli loci insunt, ubi non parvum studium nomina propria variandi conspicitur. Nonne aptissime cum illo Pindarico artificio congruit, quod Menelaus et Agamemnon in Agam. v. 42 nominibus propriis appellantur, in v. 44 *ὀχυρὸν ζεῦγος Ἀτρειδᾶιν*, cum in v. 60 poeta eos *Ἀτρέως παῖδας* dixerit? Eosdem in v. 108 non minus docte *Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος* nominatos, postquam in v. 114 appellatione *βασιλεῦσι νεῶν* insigniti sunt, in v. 122—123 Aeschylus nomine variato *δισσοὺς Ἀτρεΐδας* vocavit. Illud quoque a Pindari arte derivatum videtur, quod Calchas vates in v. 122 locutione *κεδνὸς στρατόμαντις* introductus, in v. 156 demum suo nomine vocatur. Attamen numerus repetitionum eiusdem appellationis multo maior est. Ita legitur, ut luculentissima afferam exempla — nam illae repetitiones in versu intercalari, quem nos hodie „Refrain" dicimus, ut Eumen. in v. 331 et 345 *Ἐρινύων*, huc non spectant, cum consulto appetitae sint — :

Sept. v. 120 *Κάδμου*, v. 135 *Κάδμου*;

Agam. v. 184 *Ἀχαικῶν*, v. 189 *Ἀχαικός*;

Agam. v. 1455 *Ἑλένα*, v. 1464 *Ἑλένην*;

Choeph. v. 631 *Λήμνιον*, v. 634 *Λημνίουσι*;

Eumen. v. 1001 *Παλλάδος*, v. 1018 *Παλλάδος*, v. 1045 *Παλλάδος*;

Suppl. v. 535 *Ἰοῦς*, v. 540 *Ἰώ*;

Suppl. v. 969 *Δαναόν*, v. 979 *Δαναός*.

Itaque Aeschylus quamquam aliqua ex parte Pindari illud artificium usurpavit, tamen repetitionem eorundem nominum non videtur vitasse.